



Specimen historicum inaugurale continens historiae rerum gestarum quas in deperditis historiarum libris explicuit Sallustius, partem priorem

<https://hdl.handle.net/1874/292721>

4

SPECIMEN HISTORICUM INAUGURALE,
CONTINENS
HISTORIAE RERUM GESTARUM,
QUAS
IN DEPERDITIS HISTORIARUM LIBRIS EXPLICUIT
SALLUSTIUS,
PARTEM PRIOREM,

QUOD
ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

BERNARDI TER HAAR,

THEOL. DOCT. ET PROF. ORD.

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMI ORDINIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET
LITERARUM HUMANIORUM DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus

SUMMISQUE

IN PHILOSOPHIA THEORETICA ET LITERIS HUMANIORIBUS
HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

IOANNES GEORGIUS SCHLIMMER,

Roterodamensis.

A. DIEM XVII M. MARTII, A. MDCCCLX, HORA III.

Traiecti ad Rhenum,
APUD MANSSEN & BLOM, BIBLIOPOLAS.

MDCCCLX.

7
SPECIEM HISTORICAM
HISTORIAE VILLENIS GIBBAM

IN P. METRIS HISTORICIS GIBBAM
PATRI GIBBAM

MATHEO OFFICIALE

IN NATURA DEMONSTRATA

IN NATURA DEMONSTRATA

IN NATURA DEMONSTRATA

IN NATURA DEMONSTRATA

IN NATURA DEMONSTRATA

IN NATURA DEMONSTRATA

IN NATURA DEMONSTRATA

IN NATURA DEMONSTRATA

EX TYPOGRAPHEO VIDUAE LOCKE ET FILII, ROTERODAMI.

PATRI CARISSIMO,

ET

MATRIS OPTIMAE,

VITA MATURE DEFUNCTAE, PIAE MEMORIAE,

UTI ETIAM

ALTERI MATRI,

OB SUMMUM, QUO ME SEMPER PROSECUTA EST,
AMOREM DILECTISSIMAE,



PATRI CARISSIMO

MATRI OPTIMAE

ET ALIIS BLISSIMIS DOMESTICIS

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is centered and appears to be a letter or a dedication.

Continet hic libellus partem argumenti, quod a me expositum iri, in Prolegomenis significavi. Reliqua, quae scripto iam mandaveram, quominus etiam typis mandanda curarem, variae impediverunt causae, quas uti nosse parum interest lectorum, si quos forte libellus habebit, ita gaudeo, eas non improbari gravissimis viris, quorum sententiam rogari.

De opusculo meo unum habeo, quod dicam. Nam ratio, qua in historia indaganda versatus sum, et fontes, quos adii, ex ipsa cognoscuntur Disputatione. Sed hoc volo: non opus in lucem prodire viri docti, tempora, quae tractanda sumsit, exquisita doctrina illustrantis, sed Disputationem Academicam, cuius scriptor, si industriam atque progressus suos probasse censebitur, erit profecto quod gaudio perfundatur eiusque in haec antiquitatis et historiae studia maximopere incendatur amor.

Decursis spatiis Academicis, non possum non grato animo beneficia recordari, a Praeceptoribus in me collata. Plurimum Vobis debeo, aestumatissimi Viri, KARSTEN et

ROVERS. *Quantum gaudeo, me per totum cursum Academicum Te, Clarissime KARSTEN, eximium habuisse praeceptorem, tantum paene doleo, non a carceribus Te quoque, Clarissime ROVERS, studiorum ducem mihi obtigisse. Et quum alter vestrum diutius de me egregie meruit, alter in hac Disputatione conscribenda utilissimis consiliis mihi praesto fuit. Quidam igitur in hac beneficiorum vestrorum recordatione Vos, arcto amicitiae vinculo iunctos, una alloquerer? Quid magis laudabo, liberalitatem vestram et humanitatem, an amicitium? Has autem quum laudare apte nequeam, meliusque, quae Vobis debeo, sentiam quam eloqui possim, Vos rogatos velim, ut gratias, quas Vobis ago maximas, benevole accipiatis.*

Nec minus tuum nomen, Clarissime OPZOOMER, semper colam. Cuius quoque lectiones quantum mihi profuerint, haud facile obliviscar. Utinam philosophiae doctrina, quam ex ore tuo accepi, id efficiat, ut σοφίαν magis magisque diligam. Quantum scholis tuis delectatus sim, semper gratissimo animo recordabor. Diu Te et collegas tuas incolumes servet D. O. M.!

E praeceptoribus meis Academicis duo desiderantur, quorum tantum Manibus gratias agere licet. Verumtamen non deest consolatio. Alterius enim provinciam Tu suscepisti, Clarissime ROVERS, quo Promotore gloriior; in alterius locum Te successisse, aestumatissime BRILL, vehementer gaudeo. Accipe specimen studiorum, quorum Tu posuisti fundamenta, Tibique persuasum esto, me horum beneficiorum aliorumque, quae a Te accepi, nunquam fore immemorem.

Tibi quoque, Clarissime ACKERSDYCK, cuius lectiones de historia mediæ aevi cum voluptate audivi, omnia fausta precor, nec minus Tibi, Clarissime MILLIES, cuius quamquam scholis non interfui, insigni tamen usus sum benevolentia.

*Neque vestra nomina silentio praetermittam, Clarissimi
BUYS BALLOT, VAN REES et LINTELO DE GEER, non
tantum pro praeclara institutione, verum etiam pro eximia,
qua me prosecuti estis, liberalitate.*

*Postremo cunctis, quibuscum in huius Academiae spatiis
mihî necessitudo fuit, commilitonibus, Vobis praesertim
amicis, quos non multos habui, sed caros, bona quaeque
precor, Tibi imprimis, H. A. DE GROOT, cui me esse
carissimum scio, quem semper plurimum dilexi atque di-
lecturus sum. Fata nos disiungent, sed amicitia, Traiecti
inîta, ne umquam tollatur, id prohibeat D. O. M.!*

Conspectus.

	PAG.
PROLEGOMENA	1.
PARS I, complectens annos 78—71.	
CAPUT I. Res Romae et in Italia gestae . . .	23.
I. Anni 78 et 77	23.
II. Anni 76 et 74	33.
III. Tempora belli servilis, 73-71. .	41.
CAPUT II. Res extra Italiam gestae	55.
I. Bellum Sertorianum, ad a. 74. .	55.
II. Belli Sertoriani finis	69.
III. Bellum adversus Cilices gestum. Bellum Illyricum. Bellum Ma- cedonicum	79.
IV. Bellum Mithridaticum, usque ad exercitus regii ad Cyzicum in- teritum. Antonii in Cretas ex- peditio	83.
V. Bellum Mithridaticum, ab exer- citus regii ad Cyzicum interitu ad anni 71 exitum.	97.
VI. Res Siculae	106.

PROLEGOMENA.

Res Romanas scribere mihi proposui illorum temporum, de quibus Sallustius egit in libris Historiarum deperditis. Quod ne cui audax videatur propositum, animadverto, me non ea mente hoc argumentum elegisse, ut Sallustium supplerem, sed huius fragmentis legendis ad illa tempora delatum, dignissima ea censuisse, quae accuratius cognoscerem.

Exceperunt autem illa tempora Sullae mortem, et contineri videntur duodecim annis, qui sunt ab anno 78 ad annum 66 a. Chr. (1). Quum autem res tunc domi forisque gestae magnam partem arctissime iunctae sint

(1) Kritz, Epist. Crit. ad E. Wuestem., edit. Sall. III. 22 sqq.

actis Sullanis et variis variorum consiliis, quo tempore Sulla diem obiit, argumentum Disputationis a me postulare videtur, ut haec ipsa attingam, certe inde promam, quae rei publicae Romanae anno 79 conditionem cognoscendam praebeant.

Senatorii ordinis dignitatem variis institutis amplificaverat Sulla, et praecipue quidem legibus illis, quibus plebi et equitibus potestatem eripuit, eamque ad senatum transtulit. Lex Cornelia tribunicia tribunis plebis omne ius ademit legum ferendarum, neque alia eorum iura integra reliquit, quorum quidem ius intercessionis ita circumscriptum esse videtur, ut pertineret ad certas causas, quae quales fuerint, non constat (1).

Statuit insuper Sulla, eos, qui tribuni plebis fuissent, alios magistratus capere non posse (2). Sic tribunatum plebis „*imaginem sine re reliquerat*” (3). Denique e Suetonio atque Appiano (4) probabile nonnullis visum est, legi Corneliae hoc etiam caput fuisse adiectum, *ut nemo nisi Senator tribunatum plebis peteret*. Sed id ipsum iam plebiscito Atinio, brevi ante primum Sullae consulatum, ut videtur, lato, constitutum esse existimes (5).

Iam antea, quum primum armis Roma erat potitus, Sulla comitia centuriata Servii Tullii restituisse, tributisque facultatem legum ferendarum ademisse videtur (6). Deinde antiquum institutum revocaverat, ut patres ante

(1) Caes. B. C. I. 5 et 7. Cic. Verr. II. 1. 60, et ad hunc locum interp. — Cf. Mommsen, Römische Geschichte II. 350 ed. sec.

(2) App. B. C. I. 100.

(3) Vell. Pat. II. 30.

(4) Suet. Oct. 10 et 40 ibique Era., et App. l. l.

(5) Cf. Hofmann, der Römische Senat zur Zeit der Republik, p. 144 sqq.

(6) Cf. Lau, L. Corn. Sulla, p. 214.

initum suffragium auctores fierent (1). Fuerunt, qui crederent, comitia tributa prorsus fuisse sublata, sed iure quaeritur: quī fit, ut nusquam legamus, tribunos plebis et magistratus minores in comitiis centuriatis fuisse creatos? Fuerunt etiam, qui dubitarent, num illud institutum postea restituerit Sulla: id enim a Cinna fuisse sublatum, quis dubitabit? Non credo, eum restituisse; sed incertum est.

Sic plebis fracta erat vis. Tertius ordo supererat, ordo equester: illi iudicia ademit Sulla, quae senatui reddidit (2).

Deinde, quum bellis caedibusque civilibus exiguus evasisset senatorum numerus, allectis in senatum trecentis ex opulentissimis equitibus, aucto numero senatorii ordinis dignitatem amplificavit et confirmavit. Novi illi senatores non ab ipso Sulla lecti sunt, sed a populo, et comitiis tributis quidem, unde satis apparet, comitia illa non fuisse sublata (3). De totius senatus numero minime constat: Ciceronis aetate frequenti senatu CCCCXVII affuerunt (4). Hoc autem ita constituto, legislatori curae fuit, ne illud collegium, in quo omnem potestatem reposuerat, e censoria lectione amplius penderet, sed perpetuo numerum suum conservaret. Tulit igitur, ut quaestores ipso muneris iure senatores fierent. Antea scilicet quaestores, quamdiu quaestura fungerentur, in senatum admittebantur: munere vero defuncti, non aliter in senatum amplius veniebant, nisi a censoribus lecti essent. Simul numerum quaestorum auxit, ut essent vi-

(1) App. B. C. I. 59.

(2) Cic. Verr. I. 13. Vell. II. 32. Tac. Ann. XI. 22.

(3) App. B. C. I. 100. Perperam vero I. 59 hoc refert ad a. 88. Facile enim intelligitur, post proscriptiones demum Sullam senatum supplevisse. Cf. Liv. Epit. LXXXIX.

(4) Or. p. red. in sen. 10. Cf. Cic. ad Att. I. 14. 5.

ginti, quum ante Sullam octo tantum quotannis crearentur; itaque quotannis novi senatores viginti senatui accedebant (1).

Hisce institutis adiicimus legem Cornelianam de sacerdotiis. Lege scilicet Domitia pontificibus et auguribus libera coöptatio adempta fuerat, ita ut XVII e XXXV tribubus (i. e. minor pars populi religionis causa) vocarentur, et quem sacerdotem creavissent, is a collegio coöptaretur (2). Hanc legem sustulit Sulla, et collegiis ius coöptandi restituit (3). Praeterea numerum Pontificum Augurumque auxit, ut essent quini deni (4), fortasse quo plures religionis ministros haberet sibi amicos obnoxiosque. Pontificis Maximi electionem ex veteri instituto penes populum reliquisse videtur (5).

Expositis, quae in variorum ordinum conditione et auctoritate Sulla mutaverit, transeamus ad magistratus. Universe Sulla lege cavuit, ne quis praeturam ante quaesturam, nec consulatum ante praeturam gereret (6), simul revocata lege Genucia (7), ne quis intra decennium eundem magistratum iterum gereret (8). Quas leges tum ad rempublicam ordinandam, tum contra magistratuum ambitionem latas fuisse, vix opus est quod dicatur. Alterum huius legis caput ipse Sulla neglexit, a. 80

(1) Tac. Ann. XI. 22.

(2) De lege Domitia vidd. Cic. de l. agr. II. 7; Vell. II. 12; Suet. Ner. 2; Dio Cass. XXXVII. 37; Aseon. in Cic. Cornel.

(3) Dio Cass. l. c. Pseudo-Asc. in Cic. Divin. 3.

(4) Liv. Epit. LXXXIX.

(5) Cic. de l. agr. II. 7.

(6) App. B. C. I. 100, et 101 de supplicio Ofellae. Cf. Cic. Phil. XI. 5.

(7) De lege Genucia vid. Liv. VII. 42.

(8) App. l. c.

iterum consul factus, unde collegit Pighius, hanc legem post illud tempus a Sulla latam fuisse.

In consulari potestate nihil mutavit; numerum praetorum auxit. Ante Sullam praeter praetorem urbanum et praetorem peregrinum quatuor erant praetores, qui ante institutas quaestiones perpetuas in provincias proficisci consueverant. Quorum numerum ad octo auxit Sulla, quia legibus Corneliis ipsarum quaestionum numerum auxit (1). Censuram sustulisse creditur, qua de re quidquid est, hoc apparet, post septemdecim demum annos, quum, propter infamiam iudicum de ordine senatorio, censorium nomen, quod antea tristius et asperius populo videbatur, postularetur, novos censores esse creatos (2). Tribunos plebis et quaestores iam in praecedentibus attigimus.

De comitiorum juribus detraxit Sulla. Comititia curiata non amplius habebantur, nisi imperii deferendi causa; neque erant nisi species comitiorum, quum pro triginta curiis convenirent triginta lictores, singuli pro singulis curiis (3). Sulla statuit, ut etiam sine lege curiata imperium haberet is, qui anno magistratus exacto ex SCto in provinciam abiret (4).

An Sulla dictator iterum statuerit, leges non tributis, verum centuriatis comitiis esse ferendas, non plane constare vidimus. Quidquid est, ius tamen ferendi penes senatum erat, et, quamdiu Sulla dictator erat, populus, timore percussus, nihil umquam antiquavit, quod placebat dictatori.

(1) Cf. Drumann, *Geschichte Roms*, II. 485, ubi probat, Sullam duos, non vero, ut Pomponius tradit *Dig. I. 2. 32*, quatuor praetores numero antiquo adiecit.

(2) *Cic. Divin. 3* et *Schol. Gron.* (ed. Orell. pag. 384) ad *b. l.* Cf. Hofmann *I. l.* p. 68.

(3) *Cic. de l. agr. II. 7.*

(4) *Cic. ad Div. I. 9. 25.*

Leges Cornelias iudiciarias silentio praeterimus, quippe a proposito nostro fere alienas. Sed in censum veniunt leges de proscriptione et de civitate et lex agraria. Quas leges ad extremum reservavimus, quia non spectant universae rei publicae formam. Lex de proscriptione statuit, ut, quos Sulla proscripsisset, hostes essent populi Romani occiderenturque, iisque, qui proscriptum celassent vel iuvassent, eadem poena foret; deinde, ut tum horum omnium bona venirent, tum eorum, qui in adversariorum praesidiis essent occisi; utique pecunia illa in acrarium redigeretur; denique, uti proscriptorum liberi ad nullos honores magistratusve admitterentur (1), qua de re pulchre Sallustius (2): „Solutus omnium post memoriam humani generis supplicium in post futuros composuit, quis prius iniuria quam vita certa esset.” Cum lege de proscriptione arcte iunctae sunt lex de civitate et lex agraria. Quarum prima nonnullis civitatibus civitatem ademit, ut Volaterranis, Arretinis aliisque, verum ita tamen, ut hereditates capere, et per aes et libram alienare possent, quae vellent (3). Lex agraria agros iis ademit et militibus Sullanis assignavit (4). Hac ratione secundum Livii Epitomen (5) legiones XLVII, secundum Appianum (6), quod verisimilius, XXIII in colonias deductae sunt.

Bona publicata partim sub hasta venierunt, partim dono data sunt. In venditionibus Sulla adesse solebat,

(1) Sall. Hist. Fr. I. 45. 6. Cic. p. Rose. Amer. 43. Vell. II. 28. Plut. Sulla 31 sqq.

(2) Sall. I. 1.

(3) Cic. p. Caec. 33. Or. p. domo 30. Cf. Mommsen II. 342, annot.

(4) Or. p. domo 30. Sall. I. 45. 12.

(5) Liv. Epit. I. 1. ibique interpp.

(6) App. B. C. I. 100.

atque irasci, si quis maiorem licitationem faceret, quam ii, quibus ipse favebat. Sic bona saepius venierunt vilissimo pretio, et insuper de summa frequenter remittebatur (1). Quod quantum improbarent Romani, testis nobis est Cicero (2). Paucis annis post, Cn. Lentulus Clodianus censor legem tulit de pecunia illa exigenda, quam Sulla emtoribus bonorum remiserat.

Verum haec de gravissima rerum publicarum commutatione, cuius auctor exstitit Sulla, dixisse sufficiat. Quis non intelligit, eam laudatam ab his, culpata ab illis esse, ideoque, illo vita defuncto, factiones iterum caput extulisse, spe consiliisque admodum diversis agitatae?

Et in iis quidem, quibus praesens rerum conditio displicebat, multi erant multis nominibus inter se diversi, nec nisi amore commutationis iuncti. Hanc spectabat ordo equester, cuius fractam potestatem compensare non poterat lectio ex iis in senatum habita. E contrario haec ipsa res ordinis splendorem imminuerat: lecti enim erant trecenti e ditissimis, et hi non amplius ad ordinem equestrem, sed ad senatorium pertinebant. Porro in censum venit plebs, alia animo volvens quam equites. Hi enim imprimis iudicia recuperare studebant, quo magis nobiles ex se penderent, possentque ipsi severius vectigalia exigere, et nullo resistente maiorem quaestum facere. Optabant ea, quae suis commodis inservirent et ad rem familiarem augendam valerent. Plebs autem, antea gloriata tribunicia potestate, iura amissa recipere studebat, non tam suo commodo intenta quam suae sibi

(1) Cic. off. I. 14, II. 8, de l. agr. II. 21 et 29; Sall. I. 36 et I. 45. 17; Gell. XVIII. 4; Plut. Sulla l. 1. et comp. Lys. c. Sulla 3.

(2) Cic. Verr. II. 3. 35.

conscia pristinae potestatis. Diu enim certaverat cum patriciis primum, deinde cum optimatibus; sensim iis iura eripuerat, tandem victor evaserat et maximam potestatem in se transtulcrat. Dulces plebi erant optimatum clades, gaudebat illa omnibus, quibus horum potentiam frangere posset. Et quod ad pauperes attinet, qui summum libertatis gaudium in frumenti ponebant largitione, hi miseram agebant vitam, largitionibus illis a Sulla sublatis (1). Qui quum nihil haberent quod amitterent, semper praesto erant, si modo quis eos ducendi et ab iis proficiendi artem teneret.

Neque nobis mittendi sunt libertini, quorum magna caterva Romae degebat. Lege Sulpicia tollenda suffragiis eorum omnem vim ademerat Sulla. Spem tantum in rebus novis molientibus ponere poterant. Sane decies mille illi libertini Cornelii, quos eorum numero addiderat dictator (2), magna ex parte Sullae patrono prae beneficio ipsis praestato fideles esse potuerunt; attamen, mortuo illo, meliorem conditionem non nisi a parte populari exspectare poterant.

Quid autem dicam de iis, qui in municipiis ex lege Cornelia civitatem et agros amiserant? quid de proscriptis eorumque familiis? Magna haec multitudo erat, sed impotens. Qui ex proscriptis vivi adhuc supererant, procul a Roma vagabantur, eorumque liberi, omnibus bonis iuribusque destituti, vitam agebant miseram, vel manibus quotidianum victum quaerebant. Haud meliore conditione fruebantur Itali illi, qui per colonias militares bonis exuti erant.

Praeter hos omnes commemorandi sunt ii, qui in tur-
bis tantum spem ponebant. Qui patrimonium, qui rem

(1) Sall. I. 45. 11, de cuius loci interpretatione vidd. Kritz et Mommsen II. 350, annot., qui eum prorsus alio modo interpretatur.

(2) App. B. C. I. 100.

familiarē dilapidaverant, qui acre alieno erant oppressi, — milites Sullani, qui ex assignationibus possessores agrorum quidem, verum nondum agricolae evaserant, et, bonis dissipatis, novas condonationes appetebant, — tot homines perditī, tot gloriae vel divitiarum cupidi — hi omnes pro suo commodo novas turbas sperabant, res novas moliebantur, auram popularem quaerebant, avideque speculabantur opportunitatem, qua regiminis formam evertere possent.

Tanta tamque diversa erat multitudo eorum, qui praesentem rerum conditionem acgre ferebant. His omnibus opposita erat factio optimatium, quae quid aliud agere poterat, nisi ut potestatem suam non retineret tantum, verum etiam augetet et stabiliret? Procul dubio in senatum irreperant complures, quibus Sulla erat infestissimus. Verum hi quoque, ut semper fit, quum penes eos esset potestas, eam servare malebant quam amittere, itaque eorum intererat, optimatium partes sequi atque tueri — ita ut ipsi optimates fierent.

Statuere tamen licet, in senatu fuisse, quibus proscriptiones caedesque nefandum scelus esse viderentur. Apparet etiam ex Cicerone (1), fuisse, qui statuerent, legem de civitate contra ius Romanum esse latam. Unde factum est, ut, Sulla adhuc vivo, interdum contra legem illam iudicatum sit.

Sed in hac partium descriptione nobis non mittendi sunt praecipui viri, qui tunc rebus publicis sive tuendis sive commutandis intenti fuerunt. In quorum numero fuit, qui solus fere ex nobilibus aetate provecioribus supererat, L. Marcius Philippus, et aliunde notus (2), et

(1) Cic. p. Caec. 33. Cf. or. p. domo 30.

(2) Cf. Cic. passim; Liv. Epit. LXXXVI; Val. Max. IX. 5. 2; Auctor de vir. ill. 66.

e contentione, quae ipsi consuli cum Crasso fuit (1). Partes saepius mutans, tandem cum Sulla conciliatus est (2), et post huius mortem in turbis Lepidi partes Sullanas strenue defendit (3). Huc quoque refertur P. Cornelius Cethegus, qui primum partes Marii Cinnaeque secutus (4) pariter ad Sullam defecit (5), vir magna quidem in re publica auctoritate (6) sed ea potius, quae sibi conductura esse existimaret, quam honestas rationes secutus, omninoque dubiae fidei (7) et inde invisus Philippo (8).

Eorum autem, qui Sullae partes ex animi sententia secuti sunt, primum locum tenent Q. Caecilius Metellus Pius, Q. Lutatius Catulus et L. Licinius Lucullus. Metellus, Metelli Numidici filius, in bello Italico bene de re publica meruerat (9), deinde dominantibus Marianis adversa usus est fortuna (10), sed, Sulla ex Asia reverso, in bello civili rem strenue gessit (11), cumque ipso consul fuit (12), et postea in Hispania dimicavit adversus Sertorium. A Cicerone dicitur vir sanctissimus et summa religione ac modestia (13).

Alterum ab eo locum tenet L. Licinius Lucullus,

(1) Cic. de Orat. III. 1.

(2) Liv. Epit. LXXXVI.

(3) Sall. I. 51.

(4) App. B. C. I. 60, 62, 80.

(5) App. B. C. I. 80. Val. Max. IX. 2. 1.

(6) Cic. Parad. V. 3. Plut. Luc. 6.

(7) Cic. I. I., p. Cluent. 31, Brut. 48.

(8) Sall. I. 51. 20.

(9) App. I. 53, 80.

(10) Liv. Epit. LXXXIV.

(11) Plut. Sulla 28, Pomp. 8. App. I. 88. Vell. Pat. II. 28.

(12) App. I. 103. Gell. XV. 28.

(13) Cic. p. Archia 5, de Orat. I. 40. Cf. Vell. II. 15.

cuius frater M. Lucullus a M. Terentio Varrone adoptatus fuit, et idcirco dictus est M. Terentius Licinius (1) Varro. L. Lucullus, vir magno ingenio magnoque optimarum artium studio praeditus (2), Sullae in Asia et Graecia quaestor fuerat (3), et strenuum se probaverat Sullae factorem (4). Hanc ob causam, et propter ingenium, tum etiam ob laudabilem rationem, qua provinciam administravit, et laudem militarem, quam in bello Mithridatico consecutus est, nobilium factio in eo magnam spem ponebat, ita ut deinde absens aedilis factus sit, continuo praetor (5). Postquam Metelli fama luxurie et mollitiae interierat, Lucullus et Catulus factionis duces evaserunt, hic in rebus politicis, ille in rebus bellicis, alter domi, foris alter.

Q. Lutatius Catulus, cuius pater ad Vercellos Cim-bros devicerat, domi potius quam militiae excelluerat. Erat enim vir summa auctoritate, ob integritatem, constantiam, sapientiam (6), ideoque princeps Sullanae factionis (7). Optimus civis dicitur, propugnator rei publicae, omnia rei publicae causa perficiens, neque periculi tempestate neque honoris aura unquam de suo cursu aut spe aut metu demotus, omnium Romanorum illius

(1) Non Licinianus, ut oportuisset. Cf. Orell. Onom. Tull. et Ellendt ad Cic. Brut. p. 402.

(2) Cic. Acad. IV. 1.

(3) Plut. Luc. 2, 3. App. B. M. passim. Cic. l. l.

(4) Plut. Luc. 3, 4.

(5) Cic. l. c.: „deinde absens factus aedilis, continuo praetor: (licebat enim celerius legis praemio).” Ex quibus verbis fortasse affirmandum est, Sullam iis, qui sub ipso meruerant, permisisse, ut ante tempus legitimum honores caperent.

(6) Or. p. domo 43, p. red. in sen. 4, Cic. p. Sest. 47.

(7) Cf. Plut. Pomp. 16, Cic. p. Sest. 47.

temporis integerrimus (1). Eo anno, quo Sulla diem obiit, consulatum gerebat.

Præter duces illos optimatum factionis, e Sullae fautoribus unus insuper memoretur, M. Licinius Crassus dives, qui, quum a nobilium partibus stetisset, a Cinna proscriptus erat (2), deinde post Sullae in Italiam exscensionem magna cum laude munere legati functus est (3). Postea profecit ex proscriptionibus, neque defuerunt rumores, eum modis minus honestis rem familiarem auxisse (4). Ingentibus opibus plurimum valuit in re publica; præsertim, quum multis pecuniam sine fenore mutuaretur, indeque multos haberet, qui ex se penderent. Deinde non erat cur a civibus non diligeretur, quum semper omnibus eloquentia præsto esset, neque causa esset tam parva, tam ab aliis contempta, quam ille suscipere nollet (5).

Parti populari nullus fere præerat vir inclytus. Unus tantum in censum venire potuerat, C. Iulius Caesar. Verum ille ætate nondum satis provectus erat, et tamen in omnium partium oculis habitabat. Necessitudo eius cum Mario et Cinna (6), — constantia, qua Sullae adversatus noluit Corneliae repudium mittere (7), — munus flaminis Dialis, ei donatum a Mario, a Sulla ereptum (8), — odium, quo Sulla eum persecutus erat, et pericula, quae

(1) Cic. et Plut. II. II.

(2) Plut. Crass. 4 sqq.

(3) Plut. Crass. 6, Sulla 29. Oros. V. 20.

(4) Plut. Crass. 2, Comp. Nic. c. Cr. 1.

(5) Plut. Crass. 1 sqq., Comp. Nic. c. Cr. 1. Cic. Parad. VI. 1, Off. I. 8.

(6) Plut. Caes. 1. Vell. II. 41.

(7) Plut. Vell. II. II.

(8) Vell. II. 43. Suet. Caes. 1.

subiit (1), — fortitudo eius in Cilicia et ad Mitylenam (2), — verba Sullae tributa, *ei inesse multos Marios* (3), — omnia illa efficiebant, ut eo carior esset parti populari. Sed spem tantum afferre poterat; omnes exspectationes in futuro tempore erant positae. Verumtamen mox ostendit, invisam sibi esse optimatium factionem, cuius adversarios valde iuivit, imprimis Pompeium, in potestate populi restituenda.

Quum in praesens parti populari duces deessent, factionis illius dux evasurus erat, qui primus auram eius captaret, eoque illam adduceret, ut consiliis suis inserviret. Hic fuit M. Aemilius Lepidus, qui antea ab optimatium partibus steterat, et in bello civili arma pro Sulla gesserat (4). Quum vero praetura ornatus res Siculas turpiter administravisset, et ideo a duobus Metellis, Celere et Nepote, Siciliae patronis, reus factus esset, effecit, ut Metelli, victi eius apud populum gratia, ab accusatione desisterent (5). A parte populari bene exceptus est, licet lucrum esset admodum dubium: verum omnis dux parti illi gratus erat, imprimis Lepidus, quia in annum 79, Pompeio auctore, consul designatus erat (6).

Unus superest, quem commemorare lubet, Cn. Pompeius Magnus, cuius vita factaque notiora sunt, quam ut hic enarrentur. Sullae partes secutus erat, eo consilio, ut ipse Sullae gratia fioreret, et tutus esset, donec ipse auctoritate satis valeret ad consilia sua per-

(1) Plut. et Suet. II. II. Vell. II. 41.

(2) Suet. Caes. 2, 3. Gell. V. 6.

(3) Suet. Caes. 1. Cf. v. Limburg Brouwer, Caesar en zijne tijdgenooten, I. 368.

(4) App. I. 94.

(5) Pseudo-Asc. in Cic. Divin. 1 et Verr. II. 2. 3.

(6) Plut. Sulla 34, Pomp. 15.

sequenda. Vir erat summa gloriae cupiditate, quam ubi se assequi posse sperabat, nihil quidquam pensi habebat. Gloriae illud studium apparet ex audaci eius per Italiam itinere (1), ex triumpho post reditum ex Africa efflagitato (2), e comitiis, quibus Lepidus invito Sulla consul creatus est (3). Ingentem gloriam militarem assecutus erat, qui, inde a pueritia in castris patriis militiam edoctus (4), a Sulla imperator salutatus (5), deinde summa celeritate Sicilia et Africa compositis (6), eques Romanus triumphum obtinuit. Inauditi vero illi honores magnum metum optimatum factioni iniiciebant; nam ab ea ipse recesserat: triumphus et Lepidi electio Pompeium a Sulla et Sullanis seiunxerant: Pompeii via non erat via optimatum.

Reliquum est, ut videamus de rebus exteris, quarum prae ceteris in censum veniunt res Hispanicae, maritimae, et Orientales. In Hispania bellum moveri coeptum erat, initio parvum, mox autem magnum et memorabile. Nam Marianorum viribus in omni fere Italia fractis, Q. Sertorius cum parvo copiarum numero eo traiecerat (7). Iam antea, T. Didio imperante, in Hispania tribunatum militum gesserat (8). In bello Marsico quaestor fuerat Galliae Cisalpiniae, et tum ibi, tum in Hispania, magnam gloriam erat consecutus. Sed multa, ut Sallus-

(1) Plut. Pomp. 6 sqq.

(2) Plut. Pomp. 14.

(3) Plut. Pomp. 15.

(4) Plut. Pomp. 3.

(5) Plut. Pomp. 8.

(6) Plut. Pomp. 10 sqq. Liv. Epit. LXXXIX. App. B. C. I. 96. Cf. Val. Max. IX. 13. 2; Sall. I. 42.

(7) Plut. Sert. 6.

(8) Plut. Sert. 3.

tius ait, tum ductu eius curata primo per ignobilitatem, deinde per invidiam scriptorum incelebrata sunt. In bello civili Marianae factioni se adiunxit, nec tamen probavit caedes istas Marianas, neque ipsi Mario valde favit (1). In hoc bello praefuit uni ex quatuor exercitibus, et cum Cinna adversus Cn. Pompeium Strabonem consulem ad portam Collinam dimicavit (2).

Sed redeamus illuc. Marianorum rebus prorsus debilitatis Sertorius in Hispaniam tetendit, eoque quum venerat, statim exercitum paravit e Romanis ibi degentibus; verum antequam omnia paravisset, quae ad praesidium regionis essent necessaria, Sulla eius nomen inter proscriptos retulit (3), et C. Annium Luscum, virum praeclarum, proconsulari imperio ornatum in Hispaniam misit. Sed Iulius Salinator, Sertorii legatus, Pyrenaeorum fauces ita defendit, ut nullo modo per eas penetrare posset Annius, donec Salinator a Calpurnio Lanario quodam interfectus est (4). Annii exercitui resistere non potuit Sertorius. Itaque in Mauretania perfrugium quaesivit, sed inde quoque reiectus (5), inter Europam et Africam oberrans, ab utraque depulsus, piratis se adiunxit. Nec vero maria quidem eum passura videbantur. Ab Annii classe devictus, navibus procella deiectis, animum despondere coeperat, et Fortunatas insulas petere voluit, ibique reliquam agere vitam (6). Attamen consilio mutato denuo in Africam flexit, et e bello civili in Mauretania orto proficiens, ita res gessit, ut mox, iterum crescente fama eius fere exstincta, Lusitani ad eum

(1) Plut. Sert. 5.

(2) App. B. C. I. 67. Flor. III. 21. Oros. III. 19.

(3) Flor. III. 22. Val. Max. VII. 3. 6.

(4) Plut. Sert. 7.

(5) Flor. I. I. Oros. V. 23.

(6) Plut. I. I. Cf. Flor. I. I.

legatos mitterent, qui imperium ei demandarent. Hanc ob causam in Lusitaniam profectus (1), et a Lusitanis dux creatus, praeclarum illud bellum, quod Sertorianum ab ipso dicitur, aperuit.

Accedimus ad res maritimas. Has Romani post deletam Carthaginem negligentius tractaverunt. Non enim conveniebat eorum indoli mercaturae operam dare; deinde omnibus fere regionibus, quae mare Mediterraneum circumdant, in ditionem redactis, haud magnae classes requiri videbantur. Sufficere censobatur is navium numerus, qui copias deduceret et commeatus tueretur. Verum hinc mare praecipuus locus evasit, ubi Romanis damnum inferri posset.

Piratae antiquum sane sunt hominum genus, si quidem Thucydides eos commemorat aetate Minois. In locis autem, quae olim adierunt, ante paucos annos nondum defuerunt. Et profecto mare Mediterraneum, tres orbis terrarum partes seiungens et commercii vinculo coniungens, cum innumerabilibus insulis et sinibus recessibusque aptissimum est ad piraticam exercendam. Verum numquam illi audaciores fuerunt, quam Sullae Pompeiique temporibus.

In Ciliciae parte occidentali, Cilicia aspera dicta, regione montuosa, tota in Tauri iugis sita, praecipuae erant piratarum sedes. Cilicia quidem erat provincia Syriaca, verum imperium Syriacum perpetuis contentionibus laecrabatur (2), et Diodotus Tryphon, quum Antiocho Sidetae bellum inferret, ab ipsis Cilicibus auxilium accepit, qui ipsius nomine Syriacas oras crudelissime populati sunt (3).

(1) Plut. Sert. 10.

(2) Iustin. XXXIV sqq.

(3) Strabo XIV. 5. (III p. 220 sqq. ed. Tauchn.)

Diu eos Romani tulerunt, sed tandem malum ita crevit, ut a. 103 classem, duce M. Antonio oratore, in Ciliciam miserint (1). Mox autem maiore etiam audacia piratae omnia agere et rapere coeperint. Imprimis bello Mithridatico primo aucta est eorum potestas, foedere inter illos et regem icto, quo mercenarii regis facti sunt (2). Haud parum iis favorunt bella civilia; profugi et proscripti, agris pulsi, patria eiecti, liberum refugium inter piratas obtinebant; et quamdiu res publica civilibus illis turbis vexabatur, tempus et opportunitas eorum comprimendorum Romanis deerat (3).

Piratae illi, uno nomine Cilices dicti, licet ex omnibus fere gentibus confluisissent (4), rem publicam efficiebant piraticam. In Tauri iugis arces extruxerant, habebant navalia, opifices, omnia quibus ipsis opus esset. Praeter Ciliciam habitabant in oris montuosis Lyciac, Pamphylicae, Pisidiae, in Isauria, quarum regionum sylvae lignum iis praebabant navibus struendis (5). Lucrosissima statico erat mare inter Cyrenas, Cretam et Graeciam, imprimis ad sinum Maleum, ubi *aureum mare* dicebatur (6); sed hoc mari haud contenti, usque ad fretum Gaditanum maria infestabant (7), ita ut Romanis, toto terrarum orbe victoribus, navigatio nusquam tuta esset (8). Neque mare tantum praedae faciendae opportunitatem iis prae-

(1) Liv. Epit. LXVIII. Cic. de orat. II. 1.

(2) Plut. Pomp. 24. Off. Flor. III. 6; App. B. M. 92.

(3) Plut. 1. 1.

(4) App. 1. 1.

(5) Plut., App., Strabo II. II.

(6) Flor. 1. 1., ad quem locum eff. interpp.

(7) App. B. M. 93. Flor. II.

(8) Plut., App., Flor. II. II. Cic. p. 1. Man. 11, 17.

bebat; exscensionibus factis oppida devastabant, fana diripiebant, et in ipsis Italiae oris homines et bona rapiebant (1). Habebant complures hominum myriades, naves ultra mille, neque omnes myoparones, verum etiam triremes (2). Haud mirum igitur, permultas urbes cum iis, ne diriperentur, foedera iniisse, ea lege, ut piratis in portum intrare, in foro rapinas vendere, in navalibus naves reficere liceret. Sic varia habebant receptacula (3), Cyprum, Rhodum (4), Cretam, ipsam ad piraticam procliviorum (5), Aegyptum, propter inimicitias cum Syris iis faventem (6), aliaque. Servos maxime Deli vendere solebant, ubi celeberrimum erat servorum commercium, undeque post Carthaginem et Corinthum deletas, opulenti Romani servos petebant (7). Quo tandem processerit piratarum audacia, infra exponemus, ubi enarrabitur bellum a Pompeio adversus illos gestum.

In Asia tunc maxime florebat regnum Armenicum et regnum Ponticum. Armeniae imperabat Tigranes, Mithridatis gener, qui, quum a patre parvum tantum regnum accepisset, diligenter illud augere conatus est. Parthis eripuerat Mesopotamiam (8), et nonnullis aliis regionibus in ditionem redactis, nomen *Regis Regum* sibi tribuerat (9). Syri, perpetuis Seleucidarum con-

(1) Plut., App., Strabo II. II. Dio XXXVI. 5.

(2) App. B. M. 92, 93.

(3) Dio I. I.

(4) Strabo I. I.

(5) Cic. de Rep. III. 9. App. Cret. 6.

(6) Strabo I. I.

(7) Strabo I. I.

(8) Strabo XI. 14 (II. p. 465 et 466).

(9) App. Syr. 48.

tionibus defessi, imperium Syriae et Ciliciae ei detulerant (1).

Mithridates e primo cum Romanis bello nullas victorias retinuerat (2); verum probabile erat, eum, opportunitate data, iterum aggressurum esse provinciam Romanam. Profecto Tigranes et Mithridates, quorum alter potentia, alter calliditate excelebat, affinitatis vinculo iuncti, et regna in maius augere studentes, vicini erant satis metuendi Romanis. Serius ocius belli causam fore, necesse erat. Asia Romana et imperia Orientalia paene finitima erant facta. Ciliciam planam custodiebant copiae Armenicae (3), in aspera vel Romani vel piratae dominabantur. Septentrionem versus interiectae Cappadocia, Bithynia, Galatia. Cappadociae praeerat Ariobarzanes, quem Romani a. 92 regem instituerant, et cui a Mithridate pulso primum Aquilius, deinde iterum pulso Sulla regnum reddiderant (4). Bithyniae rex non minus e Romanis pendeat, et illum quoque a Mithridate pulsum Sulla in regnum restituerat (5). Regi illi, Nicomedi III, nullus erat filius, et fortasse exspectari poterat, ut idem eveniret, quod in regno Pergameno evenerat, scilicet ut, regia gente extincta, Bithynia ex testamento obtingeret populo Romano. Quum vero Mithridates et Tigranes Bithyniam et Cappadociam appetere, non poterat non bellum serius ocius exardescere. Regna illa tamquam propugnacula erant provinciae Romanae, ferro similia, incudem inter et malleum posito. Maximum autem illis temporibus Asiae Romanae provinciae propugnaculum et

(1) App. l. l. Justin. XL. 1.

(2) App. B. M. 55—55.

(3) App. Syr. 48.

(4) Liv. Epit. LXXIV. App. B. M. l. l.

(5) App. B. M. l. l.

praesidium erat Galatia, cui toti imperabat Deiotarus (1), amicus sociusque Romanorum.

Res orientis nondum ordinatae erant. Bello Mithridatico primo composito, Sulla in Italiam traiecerat tanta festinatione, ut pacis conditiones coram modo inire, nec nominis subscriptione sancire potuisset. Post bellum, quod regi cum Murena fuit, ille legatos misit Romam, qui a Sulla peterent, ut pacem tandem sanciret. Respondit autem Sulla, nisi Ariobarzani restituta Cappadocia esset, pacem sanciri non posse. Mithridates igitur Ariobarzani regnum restituit, et iterum legatos Romam misit. Verum Sulla iam mortuus erat, et legati, fortasse propter inimicitias consulum, in senatum non introducti, re infecta abierunt (2).

Regiones, quas Romani eo tempore in Asia tenebant, constabant Asia usque ad Bithyniam, Galatiam, Cappadociam et Ciliciam Syriacam. Non omnes iisdem iuribus fruebantur. Lycii, Rhodii, Chii, incolae illi nonnullique alii suis ipsorum legibus vivebant (3).

Haud minus quam Syria contentione civilibus vexabatur Aegyptus (4). Alexander I seditione pulsus fuerat; filius eius, a Sulla rex Aegypti institutus, die regni decimo nono ab Alexandrinis caesus est (5). Contenderunt Romani, e testamento alterius utrius regis (cuius, non constat) Aegyptum populo Romano obvenisse. Utrum testamentum illud verum an falsum fuerit, iam Ciceronis tempore incertum erat. Quidquid est, regis

(1) Strabo XII, V (III, p. 56).

(2) App. B. M. 67.

(3) Liv. XLIV. 15, XLV. 25. App. B. M. 61, 62. Strabo XIV. 3 (III, p. 214).

(4) Justin. XXXVIII sqq.

(5) App. B. C. I. 102.

thesauris Tyri depositis Romani ex testamento potiti sunt: ipsam vero Aegyptum in praesens miserunt, et Ptolemaeus Auletes rex factus est, nec tamen, ut videtur, consensu populi Romani (1). In rebus Aegyptiacis politica Romana huius temporis valde est obscura, cuius, quantum possumus, indagandae, infra dabitur opportunitas. Nec minus obscurae sunt res Cyrenaicae. Ptolemaeus Apion, ultimus Cyrenaicae princeps, populum Romanum heredem scripserat, et diem obierat a. 96. (2). Non vero ante a. 74 Cyrenae in provinciam redactae sunt (3). Quare nonnulli post Apionem illum commemorant alium regem (4), ni fallor, ut expediant difficultatem, cur Cyrenae non ante a. 74 a Romanis administrari coeptae sint.

De ceteris imperii Romani partibus paucissima tantum nobis dicenda sunt. Gallia, Africa, Sicilia, Sardinia quietae erant; maioris momenti provinciae erant Illyricum et Macedonia, magisque exoptatae propter crebras excursiones in gentes finitimas, et triumphos inde decerni solitos. Macedonia tunc populabatur a populis finitimis; et haud mirum, populos illos, quum Romanis in ipsa patria satis laboris esset, ex hac opportunitate profecisse. Universe infelix erat provinciarum conditio. Omnes magis minusve bellis civilibus vel exteris vexatae fuerant; quum igitur incolae laborarent vectigalibus muletisque solvendis, pecuniam a feneratoribus accipere debebant,

(1) Cic. de l. agr. I. 1 et II. 15 sqq. Operae autem pretium est, conferre diversas Drumanni (II. 264) et Mommsenii (III. 47) sententias.

(2) Liv. Epit. LXX.

(3) Eodem anno quo Bithynia. App. B. C. I. 111. Eutr. VI. 6. Cf. Plat. Luc. 5.

(4) Sex. Ruf. 13, Amm. Marc. XX. 16, 24.

qui ingens inde lucrum facere solebant. Prae ceteris Asia feneris onere premebatur. Hoc tempore viguisse videtur usura centesima, sed quaternae quoque centesimae interdum postulabantur (1). Accedit, quod provinciae a praefectis admodum vexari solebant, iterum prae ceteris Asia, quae a Cn. Dolabella et C. Verre inaudita perpressa est, quae a Verre, primum legationis, deinde quaesturae nomine, religiosissima fana direpta, pulcherrima simulacra ablata, optimos cives interfectos vidit (2). Sic coventum erat, ut Asiani vix possent Romanos non exsecrari. Quemadmodum universe praefecti provincias tamquam praedam suam haberent, apparet ex variis legibus et causis repetundarum.

(1) Cf. Cic. ad Att. V. 21. 10 sqq., VI. 1. 5 sqq., 2. 7. Cf. Becker-Marquardt, Röm. Altherth. III. 2. 50 sqq.

(2) Cic. Verr. II. 1. 17 sqq.

PARS I.

COMPLECTENS ANNOS 78—71.

CAPUT I.

RES ROMAE ET IN ITALIA GESTAE.

I.

ANNI 78 ET 77.

Sulla diem obiit, M. Aemilio Lepido Q. Lutatio Catulo
coss., quorum ille statim munere inito actis Sullae re-
scindendis operam dedit, brevique, ut videtur, post
populum sibi conciliare studuit eiusmodi fere oratione,
qualem ei tribuit Sallustius, quam hic non omittendam
esse censeo (1):

„Clementia et probitas vostra, Quirites, quibus per
ceteras gentis maxime et clari estis, plurimum timoris
mihi faciunt adversum tyrannidem L. Sullae, ne, quae
ipsi nefanda aestumatis, ea parum credendo de aliis,
circumveniamini (praesertim quum illi spes omnis in
scelere atque perfidia sit, neque se aliter tutum putet,

(1) Sall. I. 45. Ad quem locum cf. omnino Kritziū disputatio de
tempore, quo haec oratio haberi potuerit.

quam si peior atque intestabilior metu vostro fuerit, quo captis libertatis curam miseria eximat), aut si provideritis, in vitandis periculis magis quam ulciscendo teneamini. Satellites quidem eius, homines maximi nominis, optimis maiorum exemplis, nequeo satis mirari, qui dominationis in vos servitium suum mercedem dant, et utrumque per iniuriam malunt, quam optumo iure liberi agere, praeclara Brutorum atque Aemiliorum et Lutatorum proles, geniti ad ea, quae maiores virtute peperere, subvertenda! Nam quid a Pyrrho, Hannibale, Philippoque et Antiocho defensum est aliud quam libertas et suae cuique sedes, neu cui nisi legibus pareremus? quae cuncta saevus iste Romulus, quasi ab externis rapta, tenet, non tot exercituum clade neque consulum et aliorum principum, quos fortuna belli consumpserat, satiatus, sed tum crudelior, quam plerosque secundae res in miserationem ex ira vortunt. Quin solus omnium post memoriam humani generis supplicia in post futuros composuit, quis prius iniuria quam vita certa esset; pravissimeque per sceleris immanitatem adhuc tutus fuit, dum vos metu gravioris serviti a repetunda libertate terromini.

„Agendum atque obviam eundum est, Quirites, ne spolia vestra penes illos sint; non prolatandum, neque votis paranda auxilia; nisi forte speratis taedium iam aut pudorem tyrannidis Sullae esse, et eum per scelus occupata periculosius dimissurum. At ille eo processit, ut nihil gloriosum nisi tutum, et omnia retinendae dominationis honesta aestumet. Itaque illa quies et otium cum libertate, quae multi probi potius quam laborem cum honoribus capescebant, nulla sunt. Hac tempestate servitandum, aut imperitandum; habendus metus est, aut faciendus, Quirites. Nam quid ultra? quaeve humana superant, aut divina impolluta sunt? Populus Romanus, paullo ante gentium moderator, exutus imperio, gloria;

iurè, agitandi inops despectusque ne servilia quidem alimenta relicua habet. Sociorum et Lati magna vis civitate, pro multis et egregiis factis a vobis data, per unum prohibentur, et plebis innoxiae patrias sedes occupavere pauci satellites, mercedem scelerum. Leges, iudicia, aerarium, provinciæ, reges penes unum, denique necis civium et vitæ licentia. Simul humanas hostias vidistis, et sepulchra infecta sanguine civili. Estne viris relicui aliud quam solvere iniuriam, aut mori per virtutem? quoniam quidem unum omnibus finem natura vel ferro septis statuit, neque quisquam extremam necessitatem nihil ausus nisi muliebri ingenio exspectat. Verum ego seditiosus, uti Sulla ait, qui præmia turbarum queror, et bellum cupiens, qui iura pacis repeto. Scilicet, quia non aliter salvi satisque tuti in imperio eritis, nisi Vettius Picens et scriba Cornelius aliena bene parta prodegerint, nisi approbaritis omnes proscriptionem innoxiorum ob divitias, cruciatus virorum illustrium, vastam urbem fuga et caedibus, bona civium miserorum quasi Cimbricam prædam venum aut dono datum. At obiectat mihi possessiones ex bonis proscriptorum; quod quidem scelerum illius vel maximum est, non me neque quemquam omnium satis tutum fuisse, si recte faceremus. Atque illa, quæ tum formidine mercatus sum, pretio, soluto iure, dominis tamen restituo, neque pati consilium est ullam ex civibus prædam esse. Satis illa fuerint, quæ rabie contracta toleravimus, manus conserentis inter se Romanos exercitus, et arma ab externis in nosmet versa. Scelerum et contumeliarum omnium finis sit. Quorum adeo Sullam non poenitet, ut et facta in gloria numeret, et, si liceat, avidius fecerit."

Est hæc maxima pars gravissimæ orationis. Plura non describam. Nam allata perspicue declarant Lepidi consilia viamque, qua ille progredi decreverat. His quum

intentus erat, mortuus est Sulla, eique a senatu honos habitus, ut in Campo Martio sepeliretur, ubi, auctore imprimis Catulo et adiuvante Pompeio, summa pompa sepultus est, frustra resistente Lepido (1). Primus fuit in gente Cornelia patricia, cuius corpus non humo conditum, sed combustum est, Sulla ipso auctore, metuente, ut videtur, ne, quemadmodum ipse Marii reliquias dissipari iusserat, idem suo corpori accidere posset (2).

In fragmentis Grani Liciniani biennio abhinc eum orbe erudito communicatis legitur, iustitium fuisse, et matronas eum toto anno luxisse (3).

Quid deinde fecerit Lepidus, a veteribus non diserte traditur, et de fragmentis illis, quae dicuntur Liciniani et plura hac de re commemorant, quaestio mota est. Relicta autem peritioribus disquisitione, utrum fragmenta illa Liciniani sint, an epitomatoris (4), nobis in iis, quae ex iis citamus, videndum est, an speciem veritatis habeant.

Ex fragmento laudato, licet perquam mutilo, efficitur, tribunos plebis operam dedisse, ut consules tribuniciam potestatem restituerent: hoc autem in concione negasse Lepidum (5), dicentem, non utile esse,

(1) Plat. Sulla 38, Pomp. 16. App. B. C. I. 105.

(2) Cic. Legg. II. 22. Plin. VII. 55.

(3) Licin. pagg. 23 et 44 ed. Car. Pertz. = pagg. 42 et 43 ed. Phil. Bonn. Heft. In narratione de corpore Sullae comburendo Licinianus a Cicerone differt, qua de re cf. Francken, in disput. de Grani Licin. fragm. (Jahrb. der Class. Philol. 3ter Supplementbd., 2tes Heft, 1858, p. 261.)

(4) Cf. Francken, l. l. 237 sqq.

(5) Eius quidem nomen in fragmento non exstat, sed hoc ad alium referri vix potest. Qui enim post Lepidum turbas moverunt, tribuni plebis erant; deinde haec omnia ad prima post Sullae mortem tempora esse referenda, suadet totum fragm.

restitui tribuniciam potestatem; deinde eum, nullo resistente, legem frumentariam tulisse, ut quini modii frumenti civibus darentur, et multa alia eum esse pollicitum: exsules reducere, res gestas a Sulla rescindere, agros, in quos milites deduxerat Sulla, dominis restituere (1).

Haec nihil habent, quod repugnet Lepidi moribus, et cum eius consiliis in oratione Sallustiana commemoratis bene quadrant. Quod ad tribuniciam potestatem attinet, callide Lepidus eam restituere noluit: potestas enim illa tribunicia ei ipsi, quum rerum potitus foret, non auxilio, sed impedimento fuisset; aliis igitur promissis populum sibi devincire conatus est.

Mox Faesulani irruerunt in castella veteranorum Sullanorum, et, occisis multis, agros suos receperunt (2), totaque Etruria proclivior videbatur ad tumultus excitandos et magna vis hominum convenerat agris pulsa aut civitate eiecta (3). Videtur senatus, tum Lepidum timens perpetuas turbas excitantem, tum etiam Italos, praesertim incolas Etruriae, consules ante finitum consulatum in provincias abire iussisse (4), solemni dato iureiurando, ne alter adversus alterum arma gereret. Lepidus Galliam Transalpinam sortitus est (5), Catulo, quantum conijci potest, Italia extra ordinem mandata (6).

Iuraverat Lepidus, ne cum Catulo collega pugnam

(1) In his quoque lacunae. De agris autem cf. App. 1. 107.

(2) Licin. 1. c.

(3) Sall. I. 48 et 49.

(4) Sall. I. 47 et I. 51. 4.

(5) App. 1. 1.

(6) Cf. Kritz ad Sall. I. 47. E Licin. (p. 24 et 45 Pertz = 44 et 45 Bonn.) Mommsen (III. 23 et 24 in annot.) effecit, ambos consules in Etruriam esse missos. Ego ex loco mutilo id efficere non ausim.

consereret; sed praec se ferebat, se in consulatus annum iurasse, neque iniurandum illud proconsulem tenere (1).

Copias igitur paravit in annum sequentem, neque in provincia, sed in ipsa Italia, in Etruria (2), dum per Brutum legatum Galliam Cisalpinam tenebat (3). Quod quum senatum non fugeret, revocatus est, ut coeptorum rationes redderet. Non vero paruit, quum perspiceret, quam ob causam revocatus esset, sed cum exercitu ad Urbem accessit, eo consilio ut cum copiis in illam intraret (4). Catulus autem res politicas melius quam bellicas administrare noverat, quod senatum haud parva cura affecit, donec Pompeius se ipsum rei gerendae obtulit et cum Catulo dux creatus est (5). Quum igitur Lepidus Urbem invadere volebat, montem Ianiculum et Milvium pontem jam occupaverant Catulus et Pompeius (6), et, pugna haud procul a Campo Martio commissa (7), Lepidus devictus ac repulsus est (8). Qua victoria reportata, Pompeius in Galliam profectus est, et Brutum intra Mutinam obsedit.

Interea novis copiis in Urbem ingressus est Lepidus (9).

(1) App. l. 1.

(2) Flor. III. 23.

(3) Plut. Pomp. 16.

(4) App. l. 1.

(5) Plut. l. 1.

(6) Flor. et App. l. c. — App. solum Catulum memorat.

(7) App. l. 1. — Plut. hanc pugnam omisit.

(8) App. et Flor. II. II.

(9) Alteram illam invasionem non commemorant App. et Flor., sed eius mentio exstat apud Plut. Si fides habenda est Floro, narranti, adfuisse Pompeium in proelio ad Urbem commisso, et Plutarcho, tradenti, Lepidum absente Pompeio in Urbem ingressum esse (nullo, ut videtur, proelio facto), statuendum videtur, iterum copias ad Urbem admovisse Lepidum. (Appianus quoque pugnam commemorat ad Urbem

et alterum consulatum flagitavit, quae res, absente Pompeio, magnum metum civibus iniecit (1). Mirum videtur, senatum Lepidum nondum patriae hostem iudicavisse; verum multos adfuisse in ipso senatu, qui vel Lepido faverent, vel per ignaviam eunetarentur, vel aliis de causis haesitarent, apparet e Sallustio (2). Surrexit tamen ad dicendum L. Philippus, et gravi oratione periculum ostendit, et ad fortiter resistendum hortatus est; quo auctore senatus decrevit, ut Q. Catulus, qui tunc proconsul erat (a. 77 incunte), Appius Claudius interrex (nam comitia consularia a. 78 haberi non potuisse, facile intelligitur) et ceteri, quibus imperium erat, viderent, ne quid res publica detrimenti caperet (3).

Mox autem metum illum sustulit epistola Pompeii, qua nuntiavit, se bellum in Gallia confecisse. Brutum enim Mutinae obsederat, qui, fame fortasse vel seditione militum coactus, urbem Pompeio tradidit, ea lege, ut libere abire sibi liceret. Hic illum cum magno comitatu equitum Rhegium dimisit, sed postridie, consilio mutato, Geminium quemdam misit, qui cum interficeret, quo facto alteram epistolam ad senatum scripsit Pompeius, qua Brutum graviter accusavit, ut se a iurciurando violato purgaret, neque iniuria Brutum morte mulctasse videretur (4).

Comperta deditioe Mutinae, Lepidus in Etruriam se

commissam, sed tam breviter res Lepidi enarrat, ut tum de Pompeio, tum etiam de Bruto ne verbo quidem mentionem faciat.) Sic Kritzio quoque visum est, ad Sall. I. 51 (p. 64).

(1) Plut. l. l. Sall. I. 51. 15.

(2) Sall. I. 51. 5 et 6.

(3) Sall. I. 51. 21.

(4) Plut. l. l. Cf. 64, Brut. 4. Liv. Epit. XC. Cic. ad Att. IX. 14. 2. Val. Max. VI. 2. 8.

recepit, ubi, haud procul a Cosa, proelium periclitatus est, quo devictus et maiore copiarum numero privatus, in Sardiniam traiecit (1), ut impeditis com meatibus populum Romanum fatigaret, simulque copias atque instrumenta reficeret. Quum vero praetor insulae ei ubique fortiter resisteret, et provinciam ita tueretur, ut irrita forent omnia Lepidi consilia (2), morbo correptus, prae dolore tum irritorum conatum (3), tum adulterii uxoris (4), paullo post diem obiit (5).

Sic, eadem celeritate, qua exarsit, extinctum est bellum illud civile, ex redivivis bellorum civilium cineribus suscitatum. Animadvertenda sunt verba Flori (6): „Quam late fax illius motus ab ipso Sullae rogo exarsit! Cupidus rerum novarum per insolentiam Lepidus acta tanti viri rescindere parabat. Nec immerito, si tamen posset sine magna clade reipublicae. Nam quum iure belli Sulla dictator proscripsisset inimicos; qui supererant, revocante Lepido, quid aliud quam ad bellum vocabantur? Quumque damnatorum civium bona, addicente Sulla, quamvis male capta, iure tamen repeterentur: repetitio eorum procul dubio labefactabat compositam civitatem. Expediebat ergo quasi aegrae sauciaequae reipublicae requiescere quomodocumque, ne vulnera curatione ipsa rescinderentur.”

(1) Iul. Exsup. de B. C. 6, ex quo loco efficiendum videtur, Lepidum cum solo Catulo pugnam consenuisse, Pompeium autem e Gallia redeuntem inter proelium advenisse. Plut. l. l. proelium silentio praeterit. Porro vidd. Liv. Epit. XC, App. II., Eutr. VI. 5, Oros. V. 22.

(2) Iul. Exsup. l. l.

(3) Flor.

(4) Plut. l. l.

(5) Plut., Liv., App., Flor., Iul. Exsup., Oros. II. II.

(6) Flor. l. l.

Interea consules facti sunt D. Iunius Brutus et Mam. Aemilius Lepidus Livianus, viri auctoritate parum pol- lentes. Appius Claudius interrex (cos. a. 79) in Mace- doniam abiit, dum P. Servilius Vatia, collega eius in consulatu, adversus piratas bellum gerebat, et Metellus minus feliciter arma Romana adversus Sertorium gerebat. Horum bellorum gravissimum erat Hispaniense, in quod oculos coniecerat Pompeius.

Vindex ille fuerat optimatum imperii. Hi autem ei gratiam non habebant; e contrario, ipsum vindicem time- bant, atque inviti auctam eius spectabant potestatem. Eorum enim parti tantummodo favebat, ubi favere sua intererat, neque in illius partis, sed in suum tantum commodum rei publicae servire volebat. Senatus igitur eum copias exauctorare iussit. Verum Pompeius, varias causas praetexens, iussa senatus Catulique proconsulis spernens, suo arbitrio exercitum in armis retinuit (1). Ipse sena- tus satis perspiciebat, alio duce quam Metello in Hispania opus esse. Consules autem recusabant (2), et nullus aderat, in quem oculos conicere possent, nisi Pompeius, de cuius consiliis dubitare non poterant, cui tamen bellum demandare nolebant. Sed praesentia eius haud minus videbatur periculosa; aderat cum exercitu, et historia recentium temporum satis docuerat, quantum talis exer- citus in re publica valeret. Quid igitur faciendum? Erant in senatu, qui a Pompeio cogi nollent; erant, qui eius imperium minus quam praesentiam timerent, si modo copias ab Urbe abduceret. Aliquamdiu senatus prae- texuit, non oportere equitem pro consule mitti; sed equitem illum Sulla *imperatorem* salutaverat, et, immi- nente periculo, nullo alio duce praesente, non erat cur

(1) Plut. Pomp. 17.

(2) Cic. Phil. XI: 8.

imperium ei denegaretur, cui ipse senatus bellum adversus Lepidum mandaverat. Tandem, auctore L. Philippo, Catulo imprimis dissuadente, senatus decrevit, ut Pompeius proconsulari potestate in Hispaniam mitteretur, et cum Metello bellum gereret (1). Licet hoc senatui parum iucundum esset, tamen, quum e duobus malis unum eligere debuisset, in praesens id assecutus erat, ut Pompeius a re publica amoveretur, a quo ne regiminis forma aliquando mutaretur, haud sine causa timebat.

Verum absente Pompeio non defuerunt alii, qui de optimatium potestate pedetentim detrahere studerent, tum legibus Sullanis abrogandis novisque ferendis, tum etiam principibus optimatium in iudicium vocandis.

Dum illud agebant tribuni plebis, hoc placuit C. Iulio Caesari, qui hoc ipso anno Cn. Dolabellam, qui Macedoniae praefuerat, repetundarum accusavit (2). Summa hac in causa fuit Caesaris eloquentia, ita ut deinde principibus causarum patronis annumeratus sit (3), et si ipsi accusatori credere licet, non nisi C. Cottae patrocinio causa ei erepta fuit (4). Defendentibus Q. Hortensio et C. Cotta, Dolabella absolutus est (5). Sed causa illa Caesarem populo commendavit. Non inepta est coniectura (6),

(1) Cic. p. l. Man. 21: „Quo quidem tempore, quam esset nonnemo in senatu, qui diceret, *Non oportere mitti hominem privatum pro consule*, L. Philippus dixisse dicitur, *Non se illum sua sententia pro consule, sed pro consulibus mittere.*” Vidd. porro. Plut. l. c., App. B. C. I. 108 et Hisp. 101, Vell. II. 29, Entr. VI. 1, Oros. V. 23.

(2) Diversus est a Cn. Dolabella, Ciliciae proconsule. Ascon. in Cic. p. Scauro.

(3) Suet. Caes. 4 et 55. Vell. II. 43. Val. Max. VIII. 9. 3.

(4) Val. Max. l. c.

(5) Suet. et Val. Max. II. cc.

(6) Drumann II p. 562.

Caesarem absolutionem quidem optasse Dolabellae, quo magis iudicia senatoria populo forent inuisa.

Praeter orationes tres (1) in Dolabellam alia etiam hoc anno a Caesare habita memoratur. Quum enim L. Cinna, uxoris frater, aliique, qui a Lepidi partibus steterant, ad Sertorium confugissent, Caesar per Plautium quemdam rogationem tulit de eorum reditu, et ipse hac de re concionem habuit (2).

II.

ANNI 76—74.

Anno 76, Cn. Octavio C. Scribonio coss., denuo de tribunicia potestate certari coeptum est. Qui primus acrius post Sullae mortem hanc rem moverit, fuit Sicinius (3) tribunus plebis, quem Cicero dicit hominem impurum et admodum ridiculum (4). Verum minime expectari poterat, primo impetu senatum concessurum esse rem tanti momenti, neque tam gravi certamini par fuisse videtur Sicinius (5). Longiore et acriore certamine opus erat, ut optimatibus eriperentur commoda illa, quibus ex institutis Sullanis fruebantur. Hinc, Sicinio ab optimatibus circumvento, nihil mutatum est (6).

Hoc anno Caesar C. Antonium Hybridam, filium natu minorem Antonii oratoris, apud praetorem

(1) Gell. IV. 16.

(2) Suet. Caes. 5. Gell. XIII. 3.

(3) *Lucius Sicinius* apud Sall. III. 82. 8, *Cneus* apud Cic. Brut. 60.

(4) Cic. I. 1.

(5) Cic. I. 1., Plut. Crass. 7.

(6) Sall. III. 82. 8.

M. Lucullum accusavit, quia Graecos vexavisset. Antonius autem in iudicium non venit, verum tribunorum plebis auxilium impetravit (1). Perperam narrat Plutarchus, hanc litem actam esse in Graecia, coram Lucullo Macedoniae proconsule, quippe qui non ante annum 75 exeuntem in provinciam abierit, quo tempore Caesar, a. 74 vel 73 pontifex creatus (2), Romam iam redierat. Idcirco causa illa ad hunc annum, M. Lucullo praetore, referenda videtur. Hoc enim anno M. Lucullum praeturam gessisse, verisimillimum est, licet annus a veteribus non diserte tradatur. Statuendum enim, eum post fratrem praetorem fuisse, primo, quia huic legis cuiusdam praemio celerius praeturam petere licuit (3), deinde, quia uno anno post fratrem consul fuit, unde conicere licet, eum praeturam quoque uno post Lucium anno gessisse. Praeterea, si una eum fratre gessisset praeturam, quemadmodum aedilitatem, hoc scriptorum diligentiam non fugisset.

Anno exeunte, Caesar Rhodum profectus est, tum, ut Molonem rhetorem audiret, tum invidiae declinandae causa (4), fortasse etiam, quia praevidebat fore, ut in dies cresceret invidia populi, atque optimates suae ipsorum factioni ruinam pararent (5). In itinere, dum hieme traiciebat, a praedonibus captus est: deinde, quum, quinquaginta numeratis talentis, in litore expositus erat, e vestigio, classe deducta,

(1) Plut. Caes. 4, ubi minus recte *P. Antonius*. Cf. Ascon. ad Cic. Or. in toga cand. 8.

(2) Vell. II. 43. Cf. Cic. in Pison. 26 ibique Ascon.

(3) Cf. huius Disput. p. 11. — Aedilitatem gesserunt Luculli a. 79 (Plin. VIII. 7); continuo post praeturam petiit Lucius; igitur eam gessit a. 77.

(4) Suet. Caes. 4.

(5) Drumann III p. 135.

piratas persecutus est et supplicio affecit (1). De tempore differt Plutarchus (2), qui haec ad primum Caesaris in Asiam iter refert. Verum Plutarchus et Velleius Iunium quemdam memorant, Asiae praefectum, qui vix alius esse potuit, nisi Iunius Silanus, vir praetorius, qui, teste Plinio (3), anno 76 proconsulari potestate res Asia-ticas administrabat.

Graves autem tumultus proximo anno (75), L. Octavio C. Aurelio Cotta coss., in re publica eruperunt, quorum praecipua causa erat annonae caritas. Quum enim multi frumenti comueatus interiissent insidiis piratarum (4), populus fame premebatur, qua ad desperationem fere adductus, consules, et quos comites habebant, in sacra via invasit, et, nisi in Cn. Octavii domum confugissent (5), caeco furore fortasse occidisset.

Tum Cotta animos placare studens, ea ad populum verba fecisse dicitur, quibus ostenderet sibi haud tribuendas esse res adversas, quae rem publicam premerent: se autem paratum esse, vitam pro re publica vovere, si mortem suam praesentibus malis mederi posse populus putaret; sin minus, haec forti animo civibus esse ferenda, et rei publicae iis consulendum. Non enim pacis opulentiam quaerendam esse monuit, quum omnes imperii partes asperae aut fessae bellis essent (6).

Turbis illis accesserunt prodigia et motus terrae cum fremitu inferno (7). Notum est, quantum talia prodigia valuerint apud Romanos; quae quum accessissent, plurimum

(1) Suet. J. c. Vell. II. 42.

(2) Plut. Caes. 4.

(3) Plin. II. 35.

(4) Sall. II. 48, ad quem locum cf. Kritz.

(5) Sall. II. 49.

(6) Sall. II. 50.

(7) Sall. II. 52. Inl. Obseq. de Prodig. 120.

senatus intererat, quocumque modo animos placare. Hoc consilio Cotta, e factione media consul, i. e. e factione moderata, quae media erat inter optimates et plebis propugnatores, legem tulit, ut iis, qui tribuni plebis fuissent, alios quoque magistratus capere liceret (1). Sic Cotta tribunatui non potestatem quidem, sed dignitatem addidit (2), ut plebi gratiam faciendo maiores turbas praeveniret, et rem publicam quietam teneret (3). Quam ingrata lex fuerit nobilibus, inde etiam cognoscitur, quod Q. Opimius trib. pl., qui legem oratione suaserat, hanc quidem ob causam paullo post iudicio circumventus est (4).

Praeter legem illam Cotta alteram tulit de iudiciis privatis, quae tamen proximo anno a fratre abrogata est (5).

Hoc anno Hortensius aedilitatem curulem gessit, quod munus praetermittere noluit, ne id repulsam afferret consulatus (6). Ludi ab eo editi sunt magnificentissimi, sed honestis tamen civibus parum iucundi. Nam vulgo, quum in foro ludi populo darentur, signa ac tabulae ad scenae speciem adhiberi solebant. Signa eiusmodi et tabulae partim ab amicis illius, qui ludos edebat, accommodari solebant, partim etiam ex provinciis, imprimis e Graecia, ea tamen lege, ut ludis peractis provincialibus redderentur. Verum signa atque tabulae, quibus in ornando foro Hortensius utebatur, non consensu provincialium accommodata erant, verum e provinciis a C. Verre, homine nequissimo, rapta, qui, nomine liberae legationis, in Asia atque Achaia domos privatas, fana, urbes see-

(1) Sall. II. 51. Cic. p. Corn. I. fr. 25.

(2) Cic. I. 1.

(3) Sall. III. 82. 8.

(4) Cic. Verr. II. I. 60 et Ascon. ad h. l.

(5) Cic. p. Corn. II. fr. 8 et Ascon. ad h. l. Cf. Orell. in Ind. legum.

(6) Cic. Brut. 92; cf. Off. II. 16.

lestissima cupiditate diripuerat. Qua de re pulcherrime Cicero: „Vidi”, inquit, „simul cum populo Romano forum comitiumque adornatum, ad speciem magnifico ornatu, ad sensum cogitationemque acerbis et lugubri. Vidi collucere omnia furtis tuis [sc. Verris], praeda provinciarum, spoliis sociorum atque amicorum. — Socii vero nationesque exteræ spem omnium tum primum abiicere rerum fortunarumque suarum, propterea, quod casu legati ex Asia atque Achaia plurimi Romae tunc fuerunt, qui deorum simulacra ex suis fanis sublata in foro venerabantur. Itemque cetera signa et ornamenta quum cognoscerent, alia alio in loco lacrymantes intuebantur. Quorum omnium hunc sermonem tum esse audiebamus: *Nihil esse, quod quisquam dubitaret de exitio sociorum atque amicorum: quum quidem viderent in foro populi Romani, quo in loco antea, qui sociis iniurias fecerant, accusari et condemnari solebant, ibi esse palam exposita ea, quae ab sociis per scelus ablata ereptaque essent* (1).”

Aedilis Hortensius defendit Terentium Varronem, cognatum suum, ab Appio Claudio Pulchro repetundarum accusatum. Causa acta est apud P. Lentulum Suram praetorem. Hortensius corruptis iudicibus effecit, ut tabellas acciperent discoloribus ceris insignitas, ut appareret uniuscuiusque suffragium, neque ab iis decipi posset. Hoc dolo vicit, et Terentius absolutus est. Verum res non latuit, et postea in causa Verrina acerbissime eum laceravit Cicero (2). Sed, etiamsi fortasse id assecutus est Hortensius, ut complures ab accusandis optimatibus deterreret, simul tamen effecit, ut iudicia senatoria in maiorem populi invidiam adducerentur (3).

(1) Cic. Verr. II. 1. 22, ad quem locum vid. Ascon.

(2) Cic. Divin. in Caec. 7, et Pseudo-Ascon. ad h. l.

(3) Cic. Verr. I. 13: „quae inter decem annos, posteaquam

Anno 74, L. Licinio Lucullo M. Aurelio Cotta, Caii fratre, coss., novus impetus in instituta Sullana factus est. L. Quinctius enim trib. pl. graviter ex rostris invectus est in iudicia senatoria. Quod eo imprimis fuit memorabile, quia ille „rostra iamdiu vacua locumque illum, post adventum L. Sullae a tribunicia voce desertum, oppressit, multitudinemque iam desuefactam a concionibus ad veteris consuetudinis similitudinem revocavit (1).” Ansam praebuit causa Oppianici.

Staius Albius Oppianicus uxorem duxerat Sassiam, improbam et libidinosam mulierem, iam e duobus matrimoniis viduam, cui e primo matrimonio filius erat A. Cluentius. Oppianicus quum intelligeret, bona Cluentii, quippe qui nondum testamentum fecisset, post mortem eius patri esse ventura, veneno eum tollere voluit; verum, consilio detecto, ab ipso Cluentio veneficii accusatus est. Tum C. Aelio Staieno dedit pecuniam, qua iudices corrumperet. Quum autem iudicibus *ante iudicium* pretium postulantis Staienus pecuniam negavisset, Oppianicus damnatus est. Quod aegre ferens Quinctius trib. pl., qui Oppianicum defenderat, quum simul oblatam sibi esse facultatem putaret, ut ex invidia senatoria creseceret (2), Oppianico condemnato, statim concionibus rem in invidiam adduxit, dictitans, pecuniam in iudicio esse versatam, ut innocentem reum iudices condemnarent; omnium fortunas agi, nulla esse iudicia, neque incolumem esse posse, qui locupletem haberet inimicum. — Sic permulti, totius negotii ignari, crediderunt, iudices a Cluentio fuisse corruptos. Quaestione

iudicia ad senatum translata sunt, in rebus iudicandis nefarie flagitiosaque facta sunt.”

(1) Cic. p. Cluent. 40.

(2) Cic. p. Cluent. 28.

instituta, et C. Iunius, iudex quaestionis, et alii quoque iudices damnati sunt (1).

Tandem Quinctium repressit L. Lucullus (2), quod quo modo fecerit, non constat.

Quaeritur, quidni cuncti illi in senatum impetus maiores habuerint effectus. Profecto omnes illae conciones rudesque factionem optimatium satis maculabant, sed quamdiu legibus et concionibus certabatur, nulla vi militari adhibita, potestas manebat penes optimates, qui de omnibus rei publicae opibus viribusque pro suae factionis commodo disponere poterant.

Praeterea populus, ab optimatium potestate alienus, haud melior erat quam illi ipsi, et facilem se praebebat iis, qui auram popularem captare noverant. Et tunc quidem *ἐνεργεία* deerat, nisi ubi plebs sua interesse putaret, ut *εἰ* nobilibus resisteret. Ubi autem de annonae quaestio erat, senatui satis curae fuit, ut populi gratiam sibi conciliaret. Anno 78 lex Aemilia frumentaria nullo resistente perita fuit; annis 76 et 75, propter annonae caritatem, iussu, ut verisimile est, senatus comitatus extraordinarii e Sicilia petiti sunt. Ceterum optimates id agebant, ut servarent, quae habebant, et impune omnibus fruerentur commodis, quae sibi offerrent instituta Sullana. In illa tamen instituta pauci impetum fecerunt, sed omni fere auxilio destituti, facile repressi sunt. Sic, ubi populo haud maior quam optimatibus vis, vel rectius, haud minor erat remissio, consequens fuit, ut potestas penes optimates maneret.

Dum igitur vis militaris procul esset, satis tutum haberi poterat optimatium imperium, sed hanc quidem ob causam illi timebant Pompeium. Hoc ipso anno ineunte

(1) Cic. p. Cluent. passim.

(2) Sall. III. 82. 11. Plut. Luc. 5.

parum abfuit, quin Hispania et bello Sertoriano relictis Romam rediret. Quum enim saepius legatos et epistolas ad senatum misisset, stipendii frumentique postulandi causa (1), verum nihil obtinisset, et omnem iam rem familiarem consumsisset, tandem haud obscure minatus est, se cum copiis in Italiam rediturum esse (2), ubi eius adventus vix unquam fuisset ingrator. Nam denuo exarserat bellum Mithridaticum, quod senatus, ob momentum Asiae provinciae et potestatem illius, qui ibi imperium gereret, Pompeio deferre volebat, et quod praeterea ipse Lucullus gerere vehementer cupiebat (3). Hinc, L. Licinio auctore praecipuo, subsidia auxiliaque postulata confestim missa sunt.

Quum vero consules provincias sortirentur, evenit, ut Lucullo Gallia, Asia vero Cottae obtingeret. Sic Lucullus omni spe eiectus videbatur. Verum eodem anno compta morte Octavii Ciliciae proconsulis, operam dedit, ut sibi quoque res Asiae deferrentur. Adit Praeciam, mulierem formosam et multis dotibus a natura praeditam, sed vita minus honesta notam. Multos Romanos illa amoribus suis implicuerat, imprimis Cethegum, qui, quamquam neque in domesticis, neque in bellicis rebus unquam conspicuus fuit, magna tamen in re publica pollebat auctoritate, quam non inepte fortasse explices eius cum sodalitiis (4) necessitudine. Partim commendante Cethego, partim gratia, qua ipse Lucullus apud populum florebat, Cilicia provincia ei mandata est, et cum illa imperium in bello Mithridatico (5). Cotta multis

(1) Sall. III. 1. 2.

(2) Sall. III. 1. 10. Plut. Luc. 5.

(3) Plut. Pomp. 20.

(4) De his cf. Mommsen, de Collegiis et Sodalitiis Romanorum.

(5) Plut. Luc. 6. App. B. M. 72.

precibus effecit, classi ut praeficeretur (1). Simul gratia Cethegi et Cottae consulis M. Antonius praetor curatio-
nem belli adversus piratas gerendi nactus est (2).

III.

TEMPORA BELLI SERVILIS,

73—71.

Bello Hispaniensi adhuc vigente, premente caritate annonae, piratis omnia maria litoraue infestantibus, tandem novo in Oriente bello exardescente, haud faustis auspiciis anno 73 consulatum inierunt M. Terentius Licinius Varro et C. Cassius Varus. Et tamen hic annus memorabilis fuit nova calamitate, novo bello gravissimo, in ipsa Italia commoto, non a factione quadam civili, neque ab extero hoste, sed a paucis servis fugitivis, quorum numerus mox ita crevit, ut Romae summum terrorem iniicerent.

Notum est, eo tempore tristissimam apud Romanos fuisse servorum conditionem. Inde saepius ab his seditiones motae sunt, tum Romae (3), tum in Etruria et Apulia (4), tum imprimis in Sicilia, ubi a. 132 Rupilius consul (5), a. 101 Aquillius consul (6) bellum adversus

(1) Plut. 1. 1.

(2) Pseudo-Ascon. in Cic. Divin. 17 et in Cic. Verr. II. 2. 3.

(3) Liv. III. 15, 18; IV. 45.

(4) Liv. XXXIII. 36; XXXIX. 29.

(5) Ecl. 2 ex Diod. Sic. L. XXXIV. Liv. Epit. LIX. Cic. Verr. II. 4. 50. Oros. V. 9.

(6) Ecl. 1 ex Diod. Sic. L. XXXVI. Liv. Epit. LXIX. Cic. Verr. II. 3. 3; de l. agr. II. 30.

servos gesserunt fugitivos. Inter servos insignem locum tenebant gladiatores, quorum certamen primus in ludis funebribus, in honorem patris vita defuncti editis, exhibuit D. Innius Brutus (1). Deinde in honorem mortuorum ludi gladiatorii saepius editi sunt (2), tandemque eo ventum erat, ut complures in Italia essent ludi gladiatorii, in quibus a lanistis exercebantur gladiatores, quos postea domini locare solebant iis, qui ludos essent edituri.

Missis variis gladiatorum generibus et ratione eiusmodi spectaculi exhibendi, de quibus in antiquitatum Romanarum compendiis multa disputantur, hoc unice monemus, non tantum captivos et servos nefarios (3) ad huiusmodi spectacula designari, verum propter avaritiam dominorum saepius robustissimos servos lanistis vendi, et ad ludum designari (4). Gladiatores summa fortitudine certare solebant, probe tenentes, non nisi victoriam difficilem afferre gloriam et fortasse libertatem (5). Romani spectacula illa probabant tamquam specimina fortitudinis (6). Verum haec quidem gladiatorum fortitudo causa fuit summi Urbis Italiaeque periculi.

Huiusmodi ludum gladiatorium Capuae habebat Cn. Lentulus Batiatus, unde septuaginta vel paullo plures gladiatores effugerunt, maxima pro parte Thraces et Galli (7). Forte iis in fuga obviam venerunt plaustra nonnulla gladiatoriiis armis onusta, quibus potiti

(1) Liv. Epit. XVI.

(2) Liv. XXIII. 30; XXVIII. 20; XXXI. 50; XXXIX. 46; XLI. 28.

(3) Cic. Tusc. II. 17.

(4) Plut. Crass. 8.

(5) Seneca de provid. 3. Festus voce *palma lemniscata*.

(6) Cic. l. c., Plin. Paneg. 33.

(7) De numero non omnino constat. Cf. Plut. Crass. 8; App.

sunt (1). Ducibus electis tribus, Spartaco, e Thracia oriundo, qui antea in exercitu Romano meruerat, verum, armis abiectis, latrocinatus erat, et, quum captus esset, ob ingentes vires ad ludos gladiatorios erat destinatus, et Crixo atque Oenomao Gallis (2), praesidium Capuae militare ita in fugam converterunt fugitivi, ut armis amissis festinanter Capuam rediret (3). Hoc initium belli (4).

Prima illa victoria reportata, fugitivi Vesuvium montem occuparunt, ad quem haud facilis erat aditus, et, numero in dies crescente, regionem circum montem sitam diriperunt (5). Ad eos expugnandos cum tribus millibus militum missus est C. Claudius Pulcher, frater App. Claudii, Macedoniae proconsulis. Romani nullam pugnam commiserunt, sed ad radicem montis castra posuerunt, et semitam, quae una pervia erat et insuper perangusta, custodiverunt, putantes fore, ut servi fame vel perirent, vel ad deditionem cogerentur. Hi autem, scalis e palmitibus confectis, ab altera montis parte clam Romanis descenderunt, ea parte, qua mons asperrimus erat et incustoditus. Deinde in medios hostes nihil tale opinantes irruerunt, quibus in fugam coniectis, castris potiti sunt (6).

B. C. I. 116; Liv. Epit. XCV; Vell. II. 30; Flor. III. 20; Eutr. VI. 7 (6); Oros. V. 24.

(1) Plut. I. c.

(2) Plut., App., Flor. II. cc. Athen. VI p. 272 ed. Casaub.

(3) Plut. I. 1.

(4) Vis huius belli cognoscitur e variis nominibus. Cicero illud vocat tetrum, periculosum (p. I. Man. 11), magnum atque vehemens (Verr. II. 5. 2), formidolosissimum (in Pis. 24), Appianus *Φοβερόν πόλεμον* (B. C. I. 118).

(5) App. I. 116. Vell. II. 30. Flor. I. c. Front. I. 5. 21.

(6) Plut. Crass. 9. Front. et Liv. Epit. II. II. Appianus strategema et proclium silentio praeterit. Flor. habet *Clodium Glabrum*.

Tum undique servi perfugae ad Spartacum confluerunt, imprimis bubulci atque opiliones (1), homines robustissimi, et regionis, ut res fert, viarumque gnari. Adversus servos tunc missi sunt P. Varinius (2) Glaber et Cossinius praetores, cum exercitu festinatim collecto (3). Hunc autem ita inopinato servi aggressi sunt, ut, copiis, castris, impedimentis amissis, in fuga vitam amiserit (4) et parum abfuerit, quin vivus captus esset, dum Salinis in fonte lavabatur (5); ille, fascibus et equo nudatus, salutem in fuga petere debuit (6).

Mox autem, aliis copiis paratis, Varinius iterum belli fortunam tentare voluit, verum invitis militibus. Ex postrema fuga nulli ad signa redierant, et qui reliqui erant, per summum flagitium militiam detrectabant. Cum volentibus tamen quatuor millibus servorum castra petiit, quae, quum magnis operibus communita essent, praecusit Varinius, ut conneatus intercluderet. Servi, alimentis consumptis, e castris egredi clam hoste studuerunt, quod bene iis cessit excogitato strategemate memoratu dignissimo. Nempe palis per modica intervalla ante portas fixis, cadavera erecta

(1) Plut. l. l.

(2) Sic Sall. III. 77, App. l. l., Front. I. 5, 22. Livii Epit. l. *Varenium* habet, Plut. *Varinum*. Cnius Claudium fuisse legatum, narrat Liv. Ep. l.

(3) Notanda sunt verba Appiani, I. 116: οὐ πολιτικὴν στρατιὰν ἔχοντες, ἀλλ' ὄσους ἐν σπουδῇ καὶ παρόδῳ συνέλεξαν, (οὐ γὰρ πῶ Ῥωμαῖοι πόλεμον, ἀλλ' ἐπιδρομὴν τινα, καὶ λησθηρῶ τὸ ἔργον ὄμοιον, ἠγοῦντο εἶναι). Porro animadvertatur, App. dicere: καὶ πρῶτος ἐπ' αὐτὸν ἐκπεμφθεὶς Οὐαρῖνιος Γλάβρος. Probabiliter Claudius legatus a Varinio cum parte exercitus praemissus est.

(4) Plut. l. l.

(5) Plut. l. l. Sall. III. 75.

(6) Plut. App., Liv. Epit. II. II.

alligari iussit Spartacus, veste armisque induta. Ignibus tota per castra factis, et buccinatore in castris relicto, secunda vigilia copias eduxit, hostibus procul intuentibus vana imagine delusis (1). Fugitivorum clandestinum abitum quum animadvertisset Varinius, eorum vestigia secutus, ipsis militibus proelium postulantibus, ad nova Spartacia castra pervenit, verum, manu conserta, iterum profligatus est (2). Praeterea alias clades accepisse videtur (3). Quod ad loca attinet, ubi res illae gestae sunt, videntur servi usque ad hoc fere tempus degisse in Campania (4).

Interea in fugitivorum castris discordiae ortae sunt. Oenomaus iam antea in proelio ad Vesuvium caesus esse videtur (5); qui nunc duces supererant, Spartacus et Crixus, diversa consilia erant amplexi. Spartacus enim suos in patriam reducere volebat, Crixus autem malebat in Italia morari, eique assentiebantur multi, qui, spe rapinarum adducti, magis praedam praesentem, quam futuram spectabant libertatem. Sic invito Spartaco ingentia scelera commissa sunt, virginibus matronisque ad stuprum raptis, incolis caecis, interdum laceris corporibus semianimis omissis, igni in tecta iacto,

(1) Sall. III. 77. Front. I. 5. 22.

(2) Sall. I. c. Varinium a fugitivis fuisse repulsum, effeci ex his verbis (§ 11): „Varinius milites ducit tamen ad castra fugitivorum presso gradu, silentis iam, neque tam magnifice sumantis proelium, quam postulaverant.” Et (§ 14): „priusquam reflecto exercitu adesset Varinius.” Ipsa autem eius cladis mentio in fragm. hocce valde mutilo deest. Ceterum haec rectene ad alteram praetoris cladem referantur an ad posteriorem quamdam pertineant, non plane constat.

(3) Plut. I. c.: ἄλλαις μάχαις πολλαῖς καταγωνισάμενος.

(4) Flor. III. 20: „Deinceps [postquam a Vesuvio digressi erant] oram totamque pervagantur Campaniam.” Cf. Kritz. ad Sall. III. 76.

(5) Oros. I. c.

similibusque (1). Post Varinii cladem Spartacus per agrum Picentinum, et Picentina Eburinaque iuga ad Anni Forum se convertit. Ubi vero, ut facinoribus suorum modum faceret, haud ultra unum diem et insecutam noctem commoratus, duplicato fere servorum numero, prima luce aliam regionem petiit (2). Quo deinde primum se converterit, non constat, corrupto quippe Sallustii fragmento.

Anno 72, L. Gellio Poplicola Cn. Cornelio Lentulo Clodiano coss., Spartacum reperimus in Italia Superiore, Crixum autem in Apulia. Etenim discordiae adeo creverant, ut Crixus cum tricies mille viris, maximam partem Germanis et Gallis, a Spartaco discessisset. Spartacus cum reliquis iter ad septentriones flexerat, eo consilio, ut Apenninos transgrederetur, et Thraces Gallosque, quos secum habebat, in patriam reduceret (3). Verum quum haec agebant servi, consules exercitum paraverant, quorum Gellius adversus Crixum progressus est, dum Spartaco se obiiceret Lentulus. Apud Garganum, Apuliae montem, cruento proelio commisso, Gellius consul et Q. Arrius praetor Crixo et cladem et mortem attulerunt, caesis duabus servorum partibus (4). Hac victoria reportata, Gellius Spartacum secutus est, qui, proelium evitans, Apenninos transgressus, ad Alpes tendebat. Quum vero Lentulus viam Alpinae clauderet,

(1) Quas crudelitates Sall. III. 77. memorat, hae, quantum ex fragm. mutilo coniecere licet, pertinent ad Anni Forum. Quis autem dubitat, quin per totum servorum iter talia scelera sint commissa?

(2) Sall. l. c.

(3) Plut. l. c.

(4) Plut. l. l. App. I. 117. Liv. Epit. XCVI. Oros. I. l. Plut. Arrium non memorat; contra Livius unum Arrium, quem in sequentibus Gellio adiungit. App. loquitur de altero consule, nullo nomine allato, Oros. de Gellio.

servorum dux, ne intercluderetur, consulcs singulos aggredi statuit, et primum Lentulum aggressus est, quo proffigato, subito adversus Gellium se convertit, huiusque copias pariter in fugam coniecit (1), deinde C. Cassium, Galliae Cisalpinae proconsulem, qui cum decem millibus ei se opposuerat, apud Mutinam proelio superavit (2). Post clades Gellii Lentulique Spartacus in honorem Crixi trecentos ex captivis Romanis more gladiatorum circa rogum depugnare iussit (3).

Frequentibus illis victoriis elati, servi Spartacum coegerunt itineris consilium mutare, neque eos in patriam reducere, sed, iter ad meridiem declinantem, ipsam Romam invadere (4). Secundum Appianum eo tempore exercitus Spartacius constabat millibus centum et viginti (5). Attamen, licet servis morem gerere coactus sit, pristina sua consilia non prorsus misisse videtur Spartacus, quippe qui nullos amplius servos in exercitum receperit, omniaque impedimenta, quibus sibi non prorsus opus esset, deleri, et iumenta interfici iusserit (6), quod non puto eum facturum fuisse, nisi praevidisset, serius ocius ex Italia sibi esse decedendum, neque semper fore, ut res sibi bene cederent. Et hanc quidem ob causam ille operam dedisse videtur, quo celerius copias movere posset. Porro omnes eum captivos interfecisse narrat Appianus (7).

Quum igitur e Gallia Cispadana rursus ad meridiem se convertisset, in agro Piceno iterum illi obstiterunt con-

(1) Plut., App., Liv. Epit., Oros. II. II.

(2) Plut., Liv. Epit., Flor., Oros. II. II.

(3) App. I. I. Cf. Flor. I. I.

(4) App. I. I. Cf. Flor. I. I.

(5) App. I. I.

(6) App. I. I.

(7) App. I. I.

sulcs, exercitu refecto. Verum haec quoque proelio victi sunt, et Spartacus per Samnium Lucaniam pctiit. Romam invadere noluit, quippe exercitum suum rei bellicae nondum satis peritum putans. Quid autem ad Urbis praesidium factum sit, nos latet. Id tantum constat, servos Thurios pervenisse, ab incolis aurum argentumque flagitasse, ceterum nullam iniuriam iis intulisse. Novo deinde proelio commisso, Romani iterum superati sunt, et gladiatores magnam praedam fecerunt (1).

Proximo anno imperium neque Gellio et Lentulo prorogatum est (2), neque mandatum novis consulibus P. Cornelio Lentulo Surae et Cn. Aufidio Oresti, verum M. Licinio Crasso praetori, datis illi sex legionibus praeter copias Gellii et Lentuli. Crassus castra posuit in agro Picentino (3), et Mummius legatum praemisit cum duabus legionibus, qui Spartacum observaret, nec tamen pugnam consereret. Quum nihilominus proelium commisisset Mummius, et a Spartaco victus esset, eum acerbissime exceptit Crassus, et e militibus quingentos selegit primi ordinis, qui primi se in fugam converterant, eorumque partem decimam morte mulctavit (4).

Sic effecit, ut copiae eius hostem minus quam cladem timerent. Mox, restituta disciplina militari, eas adversus ipsum Spartacum duxit. Hic autem, quum animadverteret, exercitum sibi opponi prorsus alio

(1) App. I. l.

(2) Plut. Crass. 10: ἡ βουλὴ — τοὺς μὲν ὑπάτους πρὸς ὄργην ἐκέλευσεν ἡσυχίαν ἔχειν.

(3) Plut. *Picenum* memorat, sed Spartacus in Lucania erat.

(4) Aliter App. I. 118, narraus Crassum, quum ad exercitum venisset, statim de copiis consularibus supplicium sumpsisse. Addit autem, a nonnullis tradi, Crassum, omnibus copiis in aciem productis, adversa fortuna usum quatuor millia hac poena interfecisse.

modo ac priores instructum, Lucania relicta, Rhegium in Bruttio secessit (1). Ibi egit cum praedonibus Ciliciis, qui ipsum cum bis mille militibus selectis in Siciliam traducerent, ubi aliud servile bellum movere, itaque Romanorum vires dividere cupiebat. Verum piratae, donis acceptis, eum deceperunt, et Crassus, quum sciret, eum mari non posse evadere, peninsulam Rheginam, in quam recesserat Spartacus, ingenti muro fossaque clausit. Mox servi fame premebantur, quum in recessu illo omnibus rebus egerent; itaque dux eorum nocte nivali et procellosa, parte fossae arboribus, terra, ligno, omnibusque rebus, quae praesto erant, impleta, cum tertia suorum parte erupit (2).

Ipsa Crassus, hoc comperto, metu sic perculsus fuit, ut statim ad senatum literas mitteret, Pompeius ex Hispania, M. Lucullus e Thracia uti revocarentur. Verebatur enim, ne servi recta via Romam tenderent. Verum discordiae servorum impediverunt, quominus victoria Spartaco magnos fructus afferret. Multi enim ab eo defecerunt, et suis ipsorum auspiciis, ducibus Casto et Cannicio (3), castra posuerunt ad lacum quemdam Lucaniae, unde Crassus eos pepulit, verum persequi non potuit, quum subito ipsi superveniret Spartacus. Praetorem autem, quum animadverteret, nullum Romae imminere periculum, poenituit Pompeium et Lucillum advocasse, quare summopere festinavit, ut ante horum adventum bellum componeret. Idcirco primos Castum et Cannicum aggredi statuit,

(1) Plut. l. 1. — App. l. c. duo proelia commemorat hoc tempore gesta, de quibus vid. pag. 50 annot. 2.

(2) Plut. l. 1.

(3) Sic Plut. Crass. 11. Alii *Gannicus* vel *Granicus*. Cf. interpp. ad Liv. Epit. XCVII.

qui tunc ad Calamarcum sive Calamatium montem (1) in finibus Lucaniae et Samnii castra posuerant. Commissa pugna, Crassus victor evasit, servorum plus duodecim millibus occisis (2). Post cladem illam Spartacus in montes Peteliae, in Calabria, recessit, sequentibus Quinto, Crassi legato, et Scrophia quaestore, variis proeliis et procursationibus cum defatigantibus. Verum inopinato in hac fuga se convertit, et Romanos magna clade repulit, gravi vulnere a Scrophia accepto (3). Id agebat Spartacus, ut Brundisium peteret, ubi certo ei non defuissent navigia, sed comperto adventu

(1) Front. II. 4. 7, ibique interpp.

(2) Difficillimum est, in rebus bellicis horum temporum vera cernere, et varias narrationes ad suum referre locum, quum alii scriptores aliter res exponant. In enarrandis rebus Crasso duce gestis praecipuo fonte usus sum Plutarcho, qui de uno proelio cum Casto et Cannicio conserto loquitur.

Frontinus autem duo habet, alterum apud Calamatium montem (II. 4. 7), alterum apud Cathenam (II. 5. 34). Si tamen postremum locum accurate inspicimus, mira videntur verba *in radicibus praedicti montis*, quum nullius montis mentio facta sit. Quare facio cum iis, qui pro verbis *apud Cathenam* legunt *apud Calamatium*, et utrumque locum ad unam eandemque pugnam referunt. Haec de Frontino. Appianus autem narrat, antequam Spartacus in peninsulam Rheginam recessisset, duas victorias reportasse Crassum, alteram de decem millibus servorum, qui a Spartaco secessissent, alteram de ipso Spartaco (App. I. 118). Quorum nihil apud Plut.

Libro I. 119 App. narrat, Spartacum in Samnium confugisse, ibique duobus proeliis eodem die gestis duodecim mille Spartacios esse oppressos, quum e Romanis tres tantum caesi, septem vulnerati essent (!) Quod attinet ad locum et numerum servorum caesorum, haec bene quadrant cum proelio ad Calamatium montem gesto. Verum desunt verba ἐφ' ἐσωτῶν στρατοπεδουόντων (cf. 118 in fine), et App. ea narrat de ipso Spartaco.

(3) Plut. I. 1.

M. Luculli, qui e Macedonia Brundisium appulerat, consilium abiecit (1), et iterum Lucaniam petiit, flagitantibus suis, qui, praecedente victoria elati et viribus freti, non amplius pugnam evitare voluerunt, sed Spartacum coegerunt adversus ipsum Crassum se in aciem ducere (2). Utrum hoc fere tempore, quum Brundisii petendi consilium ceperat, vel iam antea, quum in agro Bruttio obsidebatur, cum Crasso foedus ferire voluerit, mihi non constat. Quidquid est, praetor recusavit (3).

Uterque igitur proelium quaerebat: Spartacus postulantibus suis, Crassus, quoniam spargebantur rumores, haud procul abesse Pompeium, et fore, ut hoc quoque bellum ille conficeret. Et mox quidem, quum Spartacus milites vexaret, qui castra Crassi fossa circumdabant, e procursatione proelio commisso (4), summa contentione dimicatum est. Tandem Spartacus, specimine dato summae fortitudinis, occisus est, et magna clade oppressus fugitivorum exercitus (5).

De numero caesorum non constat. Sexaginta millia habet Livii Epitome (6), duodecies mille et trecentos Plutarchus (7). E Romanis mille tantum caesos fuisse, docet Appianus (8), qui tamen numerus mihi dubio maior haud videtur. Sexies mille gladiatores inter Romam et Capuam crucibus affixi sunt, et tria millia Romanorum

(1) App. I. 120, ubi perperam de L. Luculle loquitur.

(2) Plut. I. 1.

(3) App. I. 1.

(4) Plut. I. 1.

(5) Plut. I. 1. et Pomp. 21, Liv. Epit., App., Flor., Eutr., Oros. II. 11.

(6) Liv. Epit. I. 1.

(7) Plut. Pomp. 21.

(8) App. I. 1.

liberata. Spartaci cadaver non inventum est (1). Aliquandiu parvae fugitivorum manus Italiam pervagatae, sensim tamen omnes exstirpatae sunt (2). Quinque millia servorum, qui ex Italia exire sperabant, in via Pompeio obviam facta, ab illo oppressa sunt. Quare ille, gaudens, partem belli gloriae posse acquirere, ad senatum scripsit, Crassum hostes in proelio devicisse quidem, se autem bellum radicitus exstinxisse (3). Expeditio Crassi sex mensium spatio continetur (4). Ipse ovationem habuit (5); triumphum enim de servis postulare non poterat (6). Attamen, non myrto, ut in ovationibus mos erat, sed lauro coronatus in Urbem intravit (7).

Sic bellum gladiatorium per triennium gestum est, maximam partem summa crudelitate (8). Spartacus tamen crudelis fuisse non videtur, sed vehementer improbasse facinora suorum (9), quae tamen impedire non semper potuit. Ei cordi erat, non ut Italia diriperetur, et magnam praedam sui conficerent (10),

(1) App. et Oros. II. II.

(2) App. I. I.

(3) Plut. Crass. I. I. Facete ad hunc locum animadvertit Dacierus, senatum Pompeio haud melius respondere potuisse, quam his verbis Terentianis:

„Labore alieno magno partam gloriam
 „Verbis saepe in se transmovet, qui sal habet,
 „Quod in te est.”

(Eun. III. I. 9).

(4) App. I. 121. Gell. V. 6.

(5) Plut. I. I.

(6) Plut. I. I.

(7) Cic. in Pis. 24. Plin. XV. 38. Gell. I. I.

(8) Sall. III. 77. Flor. III. 20. 5.

(9) Sall. I. I.

(10) Plin. XXXIII. 14.

verum ut ex Italia milites suos in patriam educeret. In tali caterva servorum undique concurrentium haud strenue disciplinam servare poterat: complures tamen exercitus Romanos profligavit.

Perpetua oratione bellum fugitivorum enarravimus: videamus iam de rebus urbanis. Nam his quoque annis non defuerunt procellae intestinae. Anno 73 consules lege Terentia Cassia (1) populum placare studuerunt, constituto, ut frumentum in Sicilia publice emeretur (2).

Verum nihilominus C. Licinius Macer trib. pl. populum excitare studuit ad iura tribunorum restituenda. Orationem ad populum habuit, qua non tantum in nobiles gravissime invectus est, sed ne ipsi quidem populo pepercit, ut tanquam stimulis ad tribuniciam potestatem instaurandam eum incitaret. Postquam igitur tum imperium paucorum nobilium, tum etiam populi ignaviam acerrime tetigit, plebi suavit, ut militiam detrectarent, neque ad ullam amplius rem operam patribus praesarent (3).

(1) Cic. Verr. II. 3. 70 et 5. 21.

(2) Ex frumento publico cuivis civi in singulos menses quinque tritici modii distribui solebant, senis aeris ac tricutibus in singulos modios. — Ante reperta Grani Liciniani fragmenta haec annonae distributio tribuebatur legi Cassiae Terentiae. Apud Cic. autem, II. II., non legitur, frumentum ex hac lege civibus *distributum* fuisse. Hoc favere mihi videtur narrationi Liciniani docentis, iam Lepidum publicas frumenti largitiones instaurasse. Vid. huius Disput. p. 27 et Mommsen, III. 23 in annot., quocum verba Macri apud Sall. III. 82. 19: „nisi forte repentina ista frumentaria lege,” etc. ad legem Aemiliam refero. — De quinque modiiis vid. Sall. I. 1.; de pretio Cic. p. Sext. 25, Aeson. in Pison. p. 9 ed. Or., ad quos locos cf. Mommsen, die Römischen Tribus p. 182. — De frumenti largitionibus cf. etiam Becker-Marquardt, III. 2. p. 88 sqq.

(3) Sall. III. 82.

Sed nihil effecit Macer. Universe, qui hoc tempore rerum conditionem mutare studebant et auctores turbarum evadere, homines erant sine auctoritate; sic quoque Macer, cuius vultus, mores, vita, ut dicit Cicero, omnem ingenii commendationem evertabant (1). Senatus populum variis modis placabat, et omnia in Cn. Pompeii adventum differre solebat (2). Attamen miraremur populi in iuribus recuperandis ignaviam, nisi historia nos docuisset, post summam contentionem semper instare summam remissionem, et, quum democratia, vel quod huius nomine agatur, ad fastigium accesserit, mox aliud insequi tempus, quo oligarchia relictis viribus partem adversam incredibili fere modo prostratam teneat. Praeterea idonei duces plebi deerant. Tandem, si alias civitates huiusmodi aestivum accessibus recessibusque minus commotâs videmus, cogitandum est, Romam non fuisse rem publicam e mercatura victum accipientem, qualis civitas semper quietem optat; sed fuisse instructam modo militari, cuiusmodi res publica prae ceteris politicis procellis commovetur.

Proximis annis (72 et 71), quantum ad res urbanas attinet, nihil memorabile factum est.

(1) Cic. Brut. 67.

(2) Sall. III. 82, 21.

CAPUT II.

RES EXTRA ITALIAM GESTAE.

I.

BELLUM SERTORIANUM, ad annum 74.

Absolvimus de rebus Romae et in Italia gestis ad annum 71. Proximum est, ut, quae eodem tempore Romanis extra Italiam evenerint, persequamur. In his primum locum tenent res Hispanicae.

Vidimus in prolegomenis de Sertorii fatiis usque ad illud tempus, quo a Lusitanis dux creatus est. Huius rei senatus vix certior factus erat, quum nuntiata est clades Cottae, quem Annii Lusci legatum in sinu Mellariae superavit Sertorius (1). Mox accessit clades Fufidii (2), Baeticae praefecti. Iam in superiore vita gloria militaris Sertorio non defuerat (3). Idcirco, quum harum victoriarum fama percrebruisset, e profugis Romanis multi in Hispaniam confugerunt, ut castra Sertoriana sequerentur. Erant in illis viri nobilissima stirpe orti: erant, qui Sertorium tum arte militari, tum consiliis adjuvare pos-

(1) Plut. Sert. 12.

(2) Sic scribendum esse recte vidit Sintenis; cf. Kritz. ad Sall. I. 68.

(3) Sall. J. 57.

sent. Ex iis hic legit senatum (1): eorum alii praesto ipsi fuerunt legati. Magis magisque populi Hispaniae a Romanis deficiebant, et Sertorius adversarium se probabat minime spernendum, imprimis quum ab Hispanis admodum diligeretur, et tam prudentia ac fortitudine, quam secunda fortuna atque incolarum superstitione deus iis potius quam homo videretur (2). Sulla igitur Q. Metellum Pium in Hispaniam misit, quippe qui idoneus videretur ad bellum componendum (3). Simul L. Domitius, ceteriori Hispaniae praefectus, copias adversus Sertorium paravit. Verum Domitium cum exercitu oppressit Hirtuleius, Sertorii quaestor (4), et ipsum Metellum ita pressit et fatigavit Sertorius, ut ille, profligato cum copiis omnibus Thoranio sive Thorio legato, (5), Manilium, proconsulem Galliae, in auxilium vocaret (6). Verum hunc in via prope Herdam tanta clade affecit Hirtuleius, ut, copiis, castris, impedimentisque amissis, paene solus Herdam refugeret (7). Ipse Metellus non feliciore fortuna bellum gessit, et quum tandem, clam Sertorio prouti sperabat, in Lusitaniam copias deduxisset, ibique clausisset oppidum Lacobrigam, quae propter inopiam aquae per biduum modo obsessionem ferre poterat, Sertorius, quem non latuit ille Metelli motus, clam duce Romano bis mille utres aqua impletas incolis misit. Metellus igitur, quia quinque tantum dierum alimenta secum duxerat, Cornelium Aquinum legatum cum sex millibus militum

(1) Plut. Sert. 22.

(2) Plut. Sert. 11, 12.

(3) Plut. Sert. 12, Pomp. 17. Entr. VI. 1.

(4) Sall. I. 71. Entr. I. c. Plut. Sert. 12. Oros. V. 23.

(5) Flor. III. 22. Plut. I. 1.

(6) Plut. habet *L. Lollium*. Fort. leg. *L. Mallius (Manilius)*:
cf. Kritz. ad Sall. I. 72.

(7) Caes. B. G. III. 20. Liv. Epit. XC. Oros. I. 1.

frumentatum misit. Hos autem Sertorius sic ex insidiis aggressus est, ut ipse legatus sine armis equove ad Metellum rediret. Qua clade accepta, Metellus festinanter e Lusitania abiit (1).

Haec fere sunt, quae de primo belli tempore novimus. Non illum se praestitit Metellus, qui par esset Sertorio. Huius rei causa vulgo tribuitur Metello: memorantur aetas eius provector, pigritia luxuriae (2). Etsi non nego, haec aliquantum, ac multum quidem, valere potuisse, praecipua tamen causa Sertorio tribuenda mihi videtur. Illic enim summa celeritate copias movebat, ita ut semper fere esset, ubi eum non exspectares. Castra ponat Metellus, adest Sertorius; milites frumentatum eant vel aequatum, impediunt Hispani; urbem obsideant Romani, a tergo apparet Sertorius; copiae iter faciant, iterum adsunt Hispani et circumvolitantes eas lacessunt. Ita Sertorius Romanos continenter defatigare, vexare, iis imminere a tergo vel a latere, subvectiones frumenti impedire. Multis exemplis docet historia, quantum in bello valeat huiusmodi celeritas. Huic Metellus cedere debuit, pariterque Pompeius. Neque discrere cam poterant, quippe quae sit insita, a natura cuiusque et indole proficiscens. Quid Romanos iuvabat magnus copiarum numerus, si tam inopinato tantaque celeritate iis superveniebat Sertorius, ut has omnes in proelium ducere non possent. Celeritati illi Sertorius magnam iungebat prudentiam; magna proelia evitabat, quippe bene perspicuus, copias suas leviter armatas impetum ferre non posse militiae Romanae. Et si forte in proeuratione vel in pugna victores evasissent Romani, tum etiam impedire norat

(1) Plut. Sert. 13.

(2) Plut. Sert. 13, 13.

Sertorius, quominus victoria fructus hosti afferret. Accedit situs Hispaniae, et genus belli huic conveniens, quod postea dictum est *guerilla*. Huiusmodi belli vim satis perspexerat Sertorius; praeviderat fore, ut Romanis resistere posset, si praestantissimam exercitus partem more Romano instrueret, et copias disciplinae Romanae assuefaceret. Ante bellum Sertorianum Romani nunquam Hispanias sibi prorsus subicere potuerant; attamen singulos populos debellantes, victores evaserant. Nunc autem, bello per omnem Hispaniam longe lateque disperso, quum ab uno singularis prudentiae viro ordinarentur belli consilia motusque copiarum, Sertorius, celeritate Hispanorum iuncta Romanorum belli scientiae, invictus manebat. Non dubito quin Metellus, strenuus ac fortis imperator et belli gerendi peritissimus, sed cui deerat celeritas illa Sertoriana atque ardor iuvenilis, non igitur dubito, quin ipse sentiens, tali viro se non esse parem et summa sibi opus esse cautione, interdum animum desponderit, itaque otiosior fuerit in re gerenda, quod nonnullis pigritia mollitiaque videri et hisce vitis ansam quoque dare potuit. Praeterea Sertorius copias suas assuefecerat, ut, si nimis ab hoste premerentur, signo dato, sese spargerent, et per varias vias in loca antea definita convenirent, ita ut ipse interdum solus in montibus vagaretur, et paucis diebus post centum et quinquaginta millibus militum praesset. Sic victoria hosti vel nullum vel parvum afferebat commodum: mox enim idem, quem fugaverat, exercitus in locis magis opportunis denuo aderat (1). Sed plura mihi animadvertenda videntur.

Nam Sertorius Hispanos beneficiis sibi adiungere studuit. Scholam condidit Oscae in regione Vescitanorum,

(1) Plut. Sert. 12, 13, Pomp. 19. Front. II. 18. 3.

ibique congregavit pueros nobilium ex populis, quibus praeerat. Hos Graecis et Latinis literis erudiendos curavit, iisque promisit civitatem Romanam, quum ad aetatem virilem pervenissent. Parentes gaudebant cura Sertorii, gaudebant pueris toga praetexta ornatis et literarum peritis. Sic populos illos non vi, sed amoris vinculo sibi adiunxit Sertorius, et simul pueros tamquam obsides habebat fidei parentum. Copias, more Romano instructas, ornavit pulchris clypeis, galeis auro argentoque ornatis, chlamydibus versicoloribus similibusque, quae blandimenta simul ambitionem et fortitudinem augebant. Curandis rebus incolarum effecit, ut suae ipsius res melius curarentur, quam alioquin factum fuisset (1).

Tum usus est incolarum superstitione, quo magis apud ipsos valeret. Cervam albam insigni forma sibi assuefecerat dixitque, esse illam donum Dianae, et deos per illam secum, quae vellent, communicare. Sic incolis visus est a diis admodum dilectus (2). Universe magna sapientia conspicuus erat artemque callebat animos sibi conciliandi, et populos illos ea, quae vellet, docendi. Cuius rei unum afferamus exemplum. Quum videret, suos inconsulte proclium flagitare, turmae equitum permisit cum hoste congredi. Equites, ut exspectaverat, mox laborare inceperunt: tum vero aliis turmis submissis Sertorius omnes recepit. Quum igitur barbari perspexissent, se in acie hostibus esse inferiores, iis ostendit, qualem eventum pugna eiusmodi flagitata habere posset. Ne tamen animum desponderent, biduo post duos equos in conspectum totius exercitus adduci iussit, alterum vali-

(1) Plut. Sert. 14.

(2) Plut. Sert. 11, 20. App. I. 110. Val. Max. I. 2. 4. Front. I. 11. 13. Gell. XV. 32.

dum, alterum exilem; deinde iuvenes admovit duos, robustum et gracilem, et robustiorem iussit e quo exili universam caudam abrumpere, gracilem validiori per singula vellere. Tum suis explicavit Sertorius, Romanos insuperabiles esse agredientibus eos universos, neque eos lacerare posse, nisi qui per partes attentaret (1).

Verumtamen, quod imprimis animadvertatur, Sertorius noluit barbaros adversus Romanos armare. *Hispani* manebant in ditione Romanorum, neque ullus Hispanus Sertorio duce imperium gessit, neque senatui adscriptus fuit, quem e Romanis sibi legerat. Patria ei semper cara fuit, quod imprimis apparebit ex foedere inter ipsum et Mithridatem iecto. Si Plutarcho credimus, saepius Metello et Pompeio nuntiavit, se a bello desistere velle, et vitam agere privatam, si salvus in patriam redire posset; se enim malle civem esse obscurissimum, quam exsulem reliquorum omnium declarari imperatorem (2). — Ne tamen quis miretur, eum bellum continuasse. Longius enim progressus erat, quam ut regredi posset. Non licebat illi suam ipsius salutem quaerere, Hispanis desertis atque proditis; verum illis quoque populis aequas leges impetrare debebat. His vero obstabat gloria nominis Romani, neque hic populus is erat qui a victore pactum cum conditionibus acciperet, et vero Sertorius numquam post acceptam cladem, sed non nisi reportata victoria sic locutus est (3). Mirum etiam videri potest, Sertorium, patriae valde amantem, tamen adversus patriam gessisse bellum adeo diuturnum atque vehemens; verum, me iudice, Sertorius non voluit patriam, sed factionem debellare. Haec omnino distinguenda sunt. Sertorio persuasum fuisse credo, formam regiminis, a Sulla

(1) Front. I. 10. 1 et 2. Plut. Sert. 16.

(2) Plut. Sert. 22.

(3) Plut. I. 1.

institutam, esse tyrannidem. Fata Carbonis, Bruti, Lepidi eum docuerunt, armis vitam sibi esse tuendam. Itaque, quum arma adversus Romanos suscepisset, credere potuit, se pro patria certare. Verum quum semel incepisset, longius progredi debuit; quo tandem res cum ferrent, praevidere non potuit. Nescio nun speraverit fore, ut patria a se liberari posset; verum id certe eum studuisse statuere licet, ut amicis sociisque factionis suae liberum ac tutum refugium pararet (1); deinde, si potuisset, patriam procul dubio liberavisset ab imperio optimatum. Praetermisit autem mala belli civilis. Partem adversam debellare voluit, bello implicavit Romam; voluit optimates opprimere, vexavit patriam. Verum, si feliciori eventu uti potuisset, — si, Metello et Pompeio fuis, tanquam alter Hannibal in Italiam ingressus esset, — si tandem rerum conditionem mutavisset, et populo pristinam potestatem reddidisset, — tum non dictus esset bellum civile commovisse, sed patriam liberavisse, et laudibus fortasse in coelum esset erectus. Itaque consilium spectemus, non eventum; et nullo quidem iure aliud consilium suspicamus, quam quod, me saltem iudice, ex vita eius apparet, vitae tuendae et factionis adversae opprimendae.

Sed historiam enarrare pergo. Domitio Manilioque fuis, Metellus non potuit simul adversus Sertorium bellum gerere et viam Italiae custodire. Maius in dies periculum rei publicae imminere videbatur, imprimis quum M. Perperna, legatus Lepidi, cum magno copiarum numero in Hispaniam eo consilio traiecisset (2), ut ibi suo ipsius nomine bellum gereret. Quoniam vero ad milites pervenerat fama Sertorii, Perperna, nisi ipse

(1) Plut. Sert. 6.

(2) Plut. Sert. 15. App. I. 107, 113.

deseri vellet, eo fuit adductus, ut castra Sertoriana sequeretur (1). Cuius rei senatus quum certior factus esset, post longas dubitationes, coactus fere Pompeium in Hispaniam misit (2), qui, diebus quadraginta exercitu parato (3), Alpes per aliud iter atque Hannibal, sibi opportunius, transgressus (4), anno 76 in Hispaniam advenit.

Inelyto Sertorii nomini non cedebat fama Pompeii. Hinc urbes nonnullae statim portas ei aperuerunt; haesitarunt aliae, iram timentes futuri victoris, et anxiae primam pugnam exspectarunt, ut viderent, uter victor evaderet. Mox iudicandi adfuit opportunitas. Sertorius Lauronem oppidum clauserat, quod a parte Romanorum stabat. Hoc ab obsessione liberare decrevit Pompeius, et castra posuit a tergo Sertorii, qui sic in apertam perniciem irruere videbatur: nam inter urbem et Pompeium inclusus, obsessus magis quam obsessor videbatur. Verum subito a Pompeii tergo apparet manus sexies mille militum, a Sertorio consulto relicta, et in conspectu fere Pompeii urbs capta est atque igni deleta (5). Praeterea integram legionem amiserunt Romani insidiis Sertorii (6). Duae enim erant regiones, unde pabulum peti poterat, altera in propinquo, altera remotior. Illam a suis infestari iussit Sertorius; in hac vero nullus Hispanus se ostendit. Sed quum Pompeius in remotiorem regionem milites frumentatum misisset, quae tutior ei videbatur, Sertorius Octavium Graccinum et Tarquitium Priscum legatos misit, qui

(1) Plut. l. 1.

(2) Plut. Sert. 18, Pomp. 17, 18.

(3) Sall. III. 1. 4.

(4) Sall. l. 1. ibique Kritze. App. I. 109.

(5) Plut. Sert. 18, Pomp. 18. App. l. 1.

(6) App. l. 1.

pabulatores Romanos ex insidiis aggrederentur. Legio, a Pompeio missa in praesidium suorum, pariter insidiis Sertorianis implicata est, et, quum Pompeius totum exercitum educeret, idem fecit Sertorius, ita ut Pompeius, ad desidiā coactus, spectator esset cladis suorum (1).

Incolas Lauronis liberos dimisit Sertorius (2); urbem autem ideo delevisse videtur, ut Hispani de Pompeio minus magnifice sentirent, quippe qui praesens urbem sociorum expugnari aut sivisset, aut impedire non potuisset (3); porro, ut terrorem iniiceret Hispanis, ne aliae urbes a se deficerent, et ut ostenderet, non praemetu Pompeii se ad lenitudinem adduci. Capta Laurone, Contrebiam obsedit Sertorius atque cepit, nec tamen delevit, sed pecuniae modica summa exacta, armis civibus ademptis, oppido atque incolis, praeter fugitivos, pepercit (4).

Reportata illa victoria, Sertorius hiberna posuit ad Iberum, secundum Castra Aelia. Pompeius in Pyrenaeo hiberna posuit (5).

In quaestionem de anno, quo Pompeius in Hispaniam profectus sit, sitne ille 77 an 76, hic non inquirimus. Est enim exigui momenti, deque ea sic in utramque partem disputare licet, ut profligari vix posse videatur (6).

(1) Front. II. 5. 31. Cf. Sall. II. 22.

(2) Plut. Sert. l. l. — Oros. V. 23 narrat, Sertorium incolas vendidisse servos.

(3) Plut. Sert. l. l.

(4) Liv. Fragn. l. XCI.

(5) Liv. l. c.

(6) Ne quid officias ex loco Ciceroniano saepius allato, p. Font. 3; nam de tempore, quo ipse Fonteius Galliae praefectus fuerit, variae sunt sententiae. Cf. interp. ad hunc locum, et Halm. in prolegg. ad Cic. de imp. Cn. Pomp. p. 6 et Kritz. ad Sall. II. 16. Deinde nihil probat testimonium

Id tantum monemus, cum in Hispaniam advenisse eodem anno, quo Lauro capta est (1). Obsessio autem Lauronis, ut ex sequentibus apparebit, incidit in annum 76. Ego opinor, Pompeium sub finem anni 77 ex Italia exiisse, et, quum gentes montanae, circum Alpes habitantes, fortasse a Sertorii emissariis excitatae, interdum iter eius morati sint (2), anno 76 in Hispaniam venisse, nullis fortasse illa hieme hibernis positis. Metellus hoc anno quicvisse videtur. Qua de causa, non traditur (3).

Sequenti anno (4) (a. 75) belli fortuna Sertorium deserere visa est. Quum hieme in castris magnos apparatus fecerat, exercitum novis armis instruxerat, vestimenta atque stipendium militibus diviserat, et omnium populorum legationibus gratias egerat, eosque cohortatus erat ad reliquum bellum fortiter gerendum, principio veris M. Perpernam cum viginti millibus peditum equitibusque mille et quingentis, ad Iberum misit, in regionem Hercaonum, ut cum Herennio (5) qui in iisdem locis erat, Pompeium observaret, et oram maritimam tueretur (6). Sic Perperna tenebat partem regionum illarum,

Obsequentis, M. Aemilio D. Bruto coss. [i. e. anno 77] Didius Laelius -- in Hispania adversus Sertorium inter pabulatores occisus." Nam legatum illum Pompeii non ante pugnam Lauronensem occisum esse, apparet e Front. l. c.

(1) App. l. 109. Ἀφιομένον δ' εἰς Ἰβηρίαν, αἰτίνα κτέ, ubi loquitur de pugna Lauronensi, quem primum fuisse Pompeii cum Sertorio congressum, apparet e Plutarcho l. l.

(2) Sall. l. c. Cic. p. l. Man. 11: "testis est Gallia," etc., ad quos locos vidd. Kritzius et Halmius.

(3) Errat Drum. IV p. 364, ad Metellum nostrum referens, quae a Val. Max. IX. 3. 7. narratur de Q. Metello Macedonico.

(4) Liv. fr. l. XCI. App. I. 110.

(5) Liv.: *Herennuleius*. *Herennius* legitur apud Sall. III. 1. 6 et Plut. Pomp. 18.

(6) Liv. l. l.

quae hodie dicuntur Valencia et Catalonia; Pompeius a Pyrenaeis montibus veniebat, ubi, in finibus Galliae Narbonensis, non per oppida, verum castris inter hostes hiemem egerat (1). Metellus in regione maritima Baeticae hiemem egisse videtur (2), in illa Hispaniae parte, quae nunc dicitur Murcia; certe in Baeticam Hirtuleium misit Sertorius, ut Metellum observaret, nec tamen cum illo proelium consereret, quippe cui neque auctoritate, neque viribus par esset. Ipse Sertorius primum se convertit in populos Celtiberos sibi inimicos, qui auxilium Romanorum imploraverant, usque itinera monstrabant (3).

Culpa aliorum Sertorii consilia evertit. Hirtuleius, cum Metello congressus iniussu Sertorii, magna clade affectus est, primum prope Italican, Baeticae urbem, deinde ad Segoviam, ubi ipse cum fratre caesus est (4). Herennium et Perpernam superavit Pompeius, prope Valentiam, qua urbe deinde potitus est (5).

Hae clades magnum periculum intulerunt Sertorio; nam primo multis copiis erat nudatus, deinde duces Romani manus liberas habebant, et verendum erat, ne coniuncti ipsum aggredierentur. Idcirco, nuntio illarum allato, Sertorius festinavit, ut cum solo Pompeio congregaretur (6), quem si fortasse fundere posset, facilius Metello resisteret. Neque minus festinavit Pompeius, ne Metellus victoriae foret particeps (7).

(1) Sall. III. 1. 5.

(2) Certe non in Pyrenaeis, ut docet App. I. 110. Qui error facile inde explicatur, quod Appianus statim Pompeium et Metellum coniungit.

(3) Liv. 1. 1. In medio hoc itinere mutilum est fragm. Livianum.

(4) Liv. Epit. XCI. Front. II. 1. 2 et 3. 5. Flor. III. 22. Oros. V. 23. Cf. Sall. II. 21.

(5) Sall. III. 1. 6. Plut. Pomp. 18.

(6) Plut. Sert. 19.

(7) Plut. Sert. 19, Pomp. 19.

Ad flumen Sucronem pugna commissa est. Sertorius dextrum cornu ducebat adversus L. Afranium, legatum Pompeii. Quum vero accepisset, alterum cornu cedere Pompeio, qui Romanorum cornu dextro imperabat, statim suis iam laborantibus succurrit, et acerrimo proelio, quo Pompeius vulnus accepit et prope captus est, Romanos fudit. Verum interea Afranius ab altera parte Sertorianos in fugam conicerat, et castris potitus erat, quae quum, iam media nocte, milites Romani, fugae Pompeii ignari, diriperent, haud opinantibus iis supervenit Sertorius, et, magna caede facta, eos propulit (1).

Proximo die Sertorius copias iterum in aciem duxit; quum vero ei nuntiaretur, Metellum iam in propinquo esse, receptui cani iussit, militesque dispersos abire (2), ne haberent Romani, quos persequerentur, neque tute progredi possent, inscii, quo convenirent copiae Sertorii.

Congressus Metelli atque Pompeii amicior fuit, quam fortasse exspectaveris. Pompeius fasces submitit, et primum locum tribuit Metello. Hic autem omnes honores recusavit praeter ius tesserae dandae per castra (3).

Verum tantus exercitus haud diu in eodem loco ali poterat. Sertorius igitur, proelio evitato, Romanos denuo fatigare, noctu diuque vexare studuit (4). Pugna autem ad flumen Turiam (5), haud procul a Sagunto, commissa,

(1) Plut. II. cc. Liv. Epit. XCII. App. I. 110 perperam tradit, Metellum in pugna Sucronensi adfuisse.

(2) Plut. Pomp. 19.

(3) Plut. I. c.

(4) Cf. Plut. Sert. 21 init.

(5) Plut. Sert. 19, ubi vulgo *Tullia*. *Turia* apud Sall. II. 24, III. 1. 6. Cf. Kritz. ad h. l., Graev. ad Cic. p. Balbo 2, Voss. ad Pompon. Melam II. 6.

Perpernam Metellus, Sertorius Pompeium proffigavit (1). Proximo die ad vesperam subito castra Metelli aggressus est Sertorius; sed, Pompeio ad auxilium proriente, ab inepto destitit (2), et Cluniam se coniecit, oppidum bene munitum Arevacorum ad flumen Durium, ubi obsessus assiduis eruptionibus gravia damna Romanis obsidentibus intulit (3). Tandem Pompeius oppugnationem omisisse videtur; castra posuit ad Durium in regione Vaccaeorum in finibus Lusitaniae habitantium; Metellus hiberna iam posuerat in Callaecia (4). Sertorius et Pompeius in Lusitaniam abierunt (5).

Quantis cum difficultatibus Romanis conficiendum fuerit, discimus ex Epistola ad senatum, quae a Sallustio tribuitur Pompeio. Nam, si verba eius Sallustiana sunt, argumentum sine dubio congruit cum ipsis Pompeii literis. Summa rei pecuniariae inopia premebatur Pompeius (6), per triennium vix annuo sumptu dato; et in exercitu alendo non modo rem familiarem,

(1) Liv. Epit. XCII. App. l. l.

(2) App. l. l. — Plut. Sert. 21 ex proeliis ad flumen et ad castra unam pugnam effecit.

(3) Liv. Epit. XCII. Quae Plut. narrat (Sert. 21), nomen oppidi non memorans, ita conveniant cum iis, quae breviter tradit Liv. Epit. XCIII, ut conicere liceat, illum e Calaguris obsessione nonnulla in obsessionem Cluniae transtulisse.

(4) Plut. l. l. narrat, Metellum abiisse in Galliam, quod parum verisimile mihi videtur. Cf. Sall. III. l. 9: „Gallia superiore anno Metelli exercitum stipendio frumentoque aluit, et nunc malis fructibus ipsa vis agitat.” Quare conicio, pro *Gallia* legendum esse *Callaecia*, *Καλλαικία*, hodie Galicia dicta. Platarchum hic exposuisse hiberna proximae hiemis, vix cogitari potest, quum in Liv. Epit. XCIV diserte legatur, a. 74 exeunte *Pompeium* Galliam petiisse.

(5) App. l. 111.

(6) Sall. III. l. 9. Plut. Sert. 21, Pomp. 20.

verum etiam fidem consumserat (1). Ideirco Romam misit literas maxime urgentes, haud obscure ostendens, nisi senatus pecuniam mitteret, fore, ut inopia coactus cum exercitu Romam regrederetur, itaque bellum Hispaniense in ipsam Italiam transferretur (2).

Literae illae Romam pervenerunt a 74 ineunte, L. Lucullo M. Cotta coss (3). Auctore imprimis Lucullo, ut supra vidimus (4), Pompeius accepit stipendia et novas legiones duas.

Ad hunc annum (5) referendum videtur fragmentum Sallustianum de Metelli fastu luxuriaque. „At Metellus, in ulteriorem Hispaniam post annum regressus magna gloria concurrentium undique virile et muliebre secus per vias ac tecta omnium visebatur. Eum quaestor C. Urbinus alique, cognita voluntate, quum ad coenam invitassent, ultra Romanorum ac mortalium etiam morem curabant, exornatis aedibus per aulae et signa, scenisque ad ostentationem histrionum fabricatis, simul croco sparsa humus, et alia, in modum templi celeberrimi. Praeterea quum sedenti transenna demissum Victoriae simulacrum cum machinato strepitu tonitruum coronam capiti imponebat, tum venienti ture quasi deo supplicabatur. Toga picta plerumque amiculo erat ei accumbenti; epulae quaesitissimae, neque per omnem modo provinciam, sed trans maria ex Mauretania volucrum et ferarum incognita antea plura genera. Quibus rebus aliquantam partem gloriae demiserat, maxime apud veteres et sanctos viros, superba illa, gravia, indigna romano imperio existimantes.” Quod fragmentum adscripsi, quia specimen nobis praebet mollitiae Romanorum, et simul explicat, quare bello

(1) Sall. et Plut. II. II.

(2) Sall. III. 1. 10. Plut. II. II.

(3) Plut. Pomp. I. 1.

(4) Pag. 40.

(5) Sall. II. 29. Cf. Plut. Sert. 22, Pomp. 18, Val. Max. IX. 1. 5.

Sertoriano composito, nomen Q. Metelli Pii haud amplius occurrat. Hac Metelli luxuria crescebat nomen Pompeii, qui temperantia et exercitiis militaribus militum amorem sibi conciliabat, et, teste Sallustio, „cum alacribus saltu, cum velocibus cursu, cum validis vecte certabat (1).”

II.

BELLI SERTORIANI FINIS.

Eadem hieme, qua literas supra laudatas ad senatum misit Pompeius, foedus ictum est inter Mithridatem atque Sertorium. In aula enim regis Pontici non deerant profugi Romani, ex quibus L. Fannius et L. Magius, quum viderent bellum instare inter regem et Romanos, ei suaserunt, ut ad Sertorium legatos mitteret, qui de foedere cum consulerent (2). Rex igitur legatos misit cum literis a se ipso scriptis, et Sertorio naves obtulit et pecuniam ad bellum gerendum, ea lege, ut totam Asiam sibi relinqueret. Sertorius legatos audivit coram senatu. Quum autem omnium sententia esset, accipiendas esse condiciones: ipsum enim accipere quibus ipsi opus esset, concedere autem quod non haberet, quod igitur eo facilius concedi posset, Sertorius respondit, Cappadociam et Bithyniam se regi cedere velle, quippe regio imperio semper assuetas; verum nunquam se passurum esse, ut rex Asia Minore potiretur, quam aequissimo iure populus Romanus tenebat. Rem publicam enim victoriis augeri oportere, neque se illo pretio, detrimento patriae, victoriam desiderare (3). Quae responsio quum regi nuntiata est,

(1) Sall. II. 17.

(2) App. B. M. 68.

(3) Plut. Sert. 23.

stupuit ille (1); attamen foedus composuit, ea conditione, ut Sertorio daret tria millia talentorum et naves quadraginta, Sertorius autem ipsi ducem mitteret cum militibus; deinde, ut Bithynia, Cappadocia, Paphlagonia, Galatia potiri regi liceret (2). Sertorius igitur M. Marium sive Varium (3) in Asiam misit, qui nonnullas urbes cepit, sed non regis, verum Sertorii nomine bellum gessit (4).

Interea in Hispania bellum renovatum est. Metellus in parte meridionali aliquot urbes in deditioem accepit; Pompeius obsedit Pallantium. Quum vero in eo esset, ut oppido potiretur, Sertorii prope urbem adventu comperto, obsessionem omisit, et Metello se adiunxit (5). Deinde Romani frustra oppugnaverunt Calagurim, unde a Sertorio pulsus diversas regiones petere coacti sunt (6). Naves enim Sertorii custodiebant oras, ne Pompeius hinc frumentum acciperet. Sic exercitus Romani fame cruciabantur, et imperatores diversis locis copias alere debuerunt.

Si verum est, quod in superioribus coniecimus, Plutarchum ex iis, quae in obsessione Calagurim acciderunt, nonnulla transtulisse in Cluniaem obsessionem, statuendum videtur, Sertorium, quia cum minore exercitu adversus Metellum et Pompeium coniunctos dimicare nolebat, se in urbem Calagurim coniecisse; deinde multos barbaros sensim paullatimque ex urbe esse egressos,

(1) Plut. Sert. 24.

(2) App. l. c. — Plut. 23 et 24 non nisi de Bithynia et Cappadocia loquitur.

(3) Plut. habet *Marium*, App. *Varium*.

(4) Vid. § 4.

(5) App. B. C. l. 112.

(6) Liv. Epit. XCIII. App. l. l. Cf. huius Disp. p. 67 annot. 3.

quos Romani incolumes abire sinebant, putantes, quo tenuius fieret urbis praesidium, eo facilius se illa ipsoque Sertorio potiri posse. Verum per emissarios illos Sertorius undique novas copias collegit, et tandem cum reliquis inopinato ex urbe erupit. Mox autem exercitu refecto revertens, Romanos Calaguri pepulit.

Universe de ultimis belli temporibus perpauca nobis constant. Fontes enim haud amplius fere agunt de rebus bellicis, sed de seditione, quae in exercitu Sertoriano moveri coepta erat.

Hoc enim anno Metellus, comperto foedere, quod inter Mithridatem et Sertorium percussum erat, centum talenta et viginti millia iugerum agri promisit Romano illi, qui Sertorium interficeret, adiecto, ut, si proscriptus esset, liber ei foret in patriam reditus. Quod, me iudice, satis ostendit, Metellum de felici gloriosoque belli fine fere desperasse. Neque tamen praetermittendum est, Sertorium foedus iniisse cum acerbissimo patriae hoste.

Praemio illo proposito, non potuit non suspicax fieri Sertorius, imprimis in profugos Romanos. Erant inter hos, qui, nobili stirpe orti, Sertorio inviderent, aegreque ferrent, sibi imperare virum, si non obscuro, saltem obscuriore ipsis loco natum. Quorum princeps fuit Perperna. Dum a Romanis premebantur, silebant: intelligebant enim, in uno Sertorio omnium spem atque salutem esse positam. Verum, pulso periculo, putabant se quoque rem gerere posse, certe meliore iure eam gesturos esse, quam Sertorium. Varios adierunt duces atque milites, et, ubicumque poterant, semina seditionis spargere studuerunt, dicentes, se patria pulsos esse, quia liberi esse vellent; nunc autem, quamdiu Sertorius viveret, se voluntariam servire servitutem nec minus quam Hispanos belli labores ferre, pluraque

similia. Talium sermonum vim mox animadvertit Sertorius, quem tamen fugerunt ipsi auctores. Pariter incolas Hispaniae incitare conabantur Perperna eiusque socii, et id effecerunt, ut urbes complures a Sertorio deficerent. Et quando hic legatos mittebat ad urbes placandas, simulando impetrabant, ut ipsis deferretur legatio. Quo modo tum munere fungerentur, nemo non intelliget. Num mirum est, Sertorium, quem latuerunt scelestae illae insidiae, quum putaret, lenitate nihil perfici posse, iratum fuisse et severiora cepisse consilia? Num mirum est, eum tandem eo fuisse adductum, ut nemini fere confideret (1)?

Summa autem prudentia in hac re diiudicanda opus est, quia veterum scriptorum nemini ubique assentiri licet. Legimus apud Plutarchum, Sertorium adeo factum esse crudelem, ut pueros illos, qui Oscae in scholis erant, partim occideret, partem in servitutem redigeret. Sed nullus alius scriptor rem enarrat. Velleius Paternus, Florus, Valerius Maximus, ipse Appianus, qui profecto non fuit Sertorii laudator, de illa silent. Porro apud Appianum (2) legimus, Perpernam, occiso Sertorio, liberavisse obsides Ibericos, ut sibi conciliaret incolarum gratiam. Num verisimile est, Sertorium in pueros illos insontes saevisse, pepercisse autem obsidibus? Si re vera Sertorius ita in suos saevit, iure quaeritur, cur eo necato adeo iratus afflictusque fuerit exercitus. Saltem exspectares, magnum fuisse coniuratorum numerum; Appianus vero, licet de Sertorio acrius indicet, undecim tantum memorat (3). Quod autem attinet ad huius scriptoris narrationem, illecebris

(1) Plut. Sert. 25.

(2) App. I. 114.

(3) App. I. 113.

se dedidisse, scortatum esse, potasse Sertorium (1), nihil horum apud Plutarchum legitur. Qua in re fidem Plutarcho maiorem quam Appiano habeo. Nam Plutarchus laudat Sertorii morum integritatem, temperantiam, abstinentiam aliasque virtutes (2), cuiusmodi in rebus auctor est gravissimus. Si narrationem excipis caedis Oscae commissae, in tota vita nihil est quod repugnet, quod non conveniat Sertorii indoli, qualis nobis in reliqua vita depingitur. Porro secundum Appianum Perperna ad coniurationem adductus est mutata indole Sertorii (3), secundum Plutarchum insidiae coniuratorum indolem illam mutarunt (4). Quum autem Plutarchus non tantum rem fusius enarret, verum etiam causam adiciat ex indole Perpernae repetitam, ei maiorem quam Appiano fidem habeo.

Interea coniuratio detecta est, sed praecipui auctores latuerunt. Teste Livii Epitome (5), Sertorius plurimos ex amicis et secum proscriptis, crimine proditoris insimulatos, cecidit. Eum morte affecisse eos, quos coniurationis credidit participes, vel eos, quos per consilia et dolos coniuratorum hosti favere suspicatus est, non miramur. Sed nonne insontes quoque punivit? Punire potuit. Procul dubio fuerunt inter coniuratos, qui culpam in alios transferrent, tum ob privatas inimicitias, tum quo magis in odio foret Sertorius. Fortasse ipsos Sertorii amicos, qui non verbis, sed ex animi sententia eum diligebant, Sertorio suspectos fecerunt. Nolo negare, Sertorium illis temporibus unquam fuisse cru-

(1) App. l. l.

(2) Plut. Sert. 1, 9, 13, 26.

(3) App. l. l.

(4) Plut. Sert. 25.

(5) Epit. XCII.

delem atque iniustum. Id modo contendo, si aliquando fuerit crudelis, indoli eius culpam non esse tribuendam, neque rebus adversis, verum dolis Perpernae socio-
rumque nefaria calliditate paratis, quibus eo illum adduxerunt, ut de humana virtute atque fide fere desperaret (1).

Detectis fortasse coniurationis indiciis, Sertorius,

(1) Miror, Drumannum (IV. pag. 349) tantam fidem habuisse caedi Oesae commissae, sed imprimis, eum tam diligenter, Sertorii animum crudelem fuisse, ostendere conatum esse. Facta eius commemorat complura, tamquam exempla crudelitatis, nulla fere ratione temporum et opportunitatum habita.

Et primum quidem, quod affert, exemplum est caedes Gyrisoenorum, de qua vid. Plut. Sert. 3. Num id exemplum est crudelitatis? Eum urbem Gyrisoenorum dolo cepisse, et ultum esse caedem militum Castulone commissam, num id ei vitio vertendum est? Verum incolas partim interfici iussit, partim venire. Concedo, sed distinguenda sunt tempora. Eo tempore non erat crudelitas; erat consuetudo, et ius victoris. Porro Sertorium servos Marianos occidi iussisse (Plut. Sert. 5), nonne potius id laudi ei duceres? Quod attinet ad cohortem ob unius culpam morte mulctatam (App. B. C. I. 109), vix eo adducor, ut credam, cohortem illam sine culpa fuisse, quod ne Drumannus quidem putavit. Appianus brevior est, quam ut ex eo de omnibus rebus bene iudicare possimus. Fortasse disciplinam violaverat illa cohors; vel etiam, quippe Romana, putavit, sibi plura quam aliis licere; fortasse propter poenam uni illi inflictam seditiosa erat — quis novit? Certe hoc non exemplum crudelitatis mihi videtur, verum severitatis in servanda disciplina. Non spernenda sunt verba ipsius Appiani: *καὶ ὁ Σερτώριος — τὴν σπέραν ὄλην ἀγέρωχον ἐς τὰ τοιαῦτ' εἶναι νομιζομένην*. Animadvertas velim, Plutarchum huius rei nullam facere mentionem.

Quid tandem dicam de capta Laurone, qua in re Drumannus, sprete Plutarchi auctoritate, uni Orosio fidem habuit? Sed cur urbem deleri iusserit Sertorius, superiore paragrapho exposuimus, neque incolis ille libertatem eripuisse videtur. Cf. Plut. Sert. 18.

periculum a Romanis metuens, satellitibus Ibericis se circumdedit, quod animos Romanorum magis irritavit (1). Hisce auspiciis bellum anno 73 renovatum est. Sertorius haud prospere res gessit. Romani urbes ceperunt complures, nullo fere proelio commisso. Anno 72 res Sertorianae in peiore etiam loco erant (2). Profecto haud mirum est, eius *ἐκπελάου* valde fuisse imminutam. Et cuinam Romanorum copias confideret, praesertim quum suspicaretur, adesse, qui hostibus faverent? Interea Perperna tempus exspectabat opportunum, quo Sertorium occidere posset. Nec vero facile id negotium erat, quum dux numquam in publicum prodiret, nisi comitantibus satellitibus (3). Et parum abfuit, quin coniuratio fuisset detecta. In coniuratorum enim numero erat Manlius quidam s. Mallius (4), qui, amore erga iuvenem formosum correptus, huic totam rem aperuit. Iuvenis ille Aufidium adiit, alium coniuratorum, et cum eo communicavit, quae a Manlio acceperat. Aufidius, quamquam perterritus, metum celavit, deque narratione risit, et Manlium stolidum vocavit, ne iuvenis ille hanc veram esse putaret. Sed statim se ad Perpernam contulit, eique suasit, ne diutius enuctaretur. Confestim igitur per emissarium quemdam literae missae sunt Sertorio, quibus illi nuntiabatur ficta legati cuiusdam de Romanis victoria. Simul multis precibus a Sertorio impetravit Perperna, ut adesset epulis, quas in honorem illius victoriae paraverat. Sertorius ad coenam venit cum Versio et Maecenate scribis. In media coena,

(1) App. I. 112.

(2) Liv. Epit. XCIV. App. I. 113.

(3) App. I. 112.

(4) Plut. Sert. 26, ad quem locum cff. interpp.

signo dato, M. Antonius, qui super eum accumbebat, sicam in corpus Sertorii defixit, et ceteri eum gladiis percusserunt. Sic Sertorius Oscae interfectus est anno 72 (1).

Hac quoque in re animadvertatur discrepantia inter Plutarchum et Appianum. Hic enim narrat, coniuratos inebriasse Sertorium (2). Ille vero tradit, coniuratos, quippe qui scirent, Sertorium odisse sermones viles et voluptuosos, talibus sermonibus eum irritasse, ut se converteret, itaque Antonio daretur opportunitas eum interficiendi (3).

Inter coniuratos praeter Perpernam, Antonium, Manlium et Aufidium, memorantur Octavius Graecinus (4), Tarquitijs Priscus (5) et L. Fabius Hispaniensis (6).

Comperta nece Sertorii, exercitus valde fuit commotus. Sentiebant omnes, qualem amisissent virum. Quum autem aperto testamento animadverterent, Perpernam esse in heredibus, parum abfuit, quin ille inter milites furibundos poenam sceleris dedisset. Tandem blandis verbis pulchrisque promissis aliorum iram lenivit, alios minis terruit, nonneminem gladio percussit. Varios populos adiit, ut a suis partibus starent (7). Mox vero, quum tres nobiles profugos et suum ipsius fratrem

(1) Plut. Sert. 26, Pomp. 20. App. B. C. I. 113, Hisp. 101. Liv. Epit. XCVI. Sall. III. 3. Vell. II. 30. Eutr. VI. 1. Oros. V. 23.

(2) App. I. 113.

(3) Plut. Sert. 26.

(4) Plut. I. 1.

(5) Sall. III. 3. Graecinus et Priscus in pugna Lauronensi memorantur a Front. II. 5. 31.

(6) Sall. I. 1. Fabius quaestor fuit C. Anni Luscii. Cf. Kritz. ad h. l.

(7) App. I. 114.

patrualem cecidisset, multi ab eo defecerunt, et ad Pompeium et Metellum literas miserunt deditiois. Neque imperatoribus Romanis operae pretium visum est coniunctim copias ducere adversus Perpernam, qui non nisi cladibus iis innotuerat. Unus Pompeius in eum progressus est, eumque vicit. Ipse Perperna fuga evasit, suos pariter metuens atque hostes. In fruticeto latens ab equitibus detectus, et captivus ad Pompeium adductus est (1). Tum vero nova proditione salutem petere studuit, et literas chartasque Sertorii Pompeio obtulit, ex quibus, ut aiebat, paterent nomina eorum, qui Romae Sertorio faverent. Pompeius autem literas omnes sibi dari iussit, et statim cremavit (2). Perpernam autem occidi iussit (3).

Alios etiam e coniuratis necari iussit. Itaque necem Sertorii praeclare ultus est. Qui fuga evaserunt, mox a Mauretaniis interfecti sunt. Unus Aufidius, qui solus superstes fuit, per aliquot adhuc annos vitam tristem et miseram egit (4).

Hic finis belli fuit. Metellus nihil amplius perfecisse videtur. Pompeius provincias ordinavit. Multae urbes portas ei aperuerunt, aliae armis captae sunt. Imprimis mentione digna est obsessio Calaguris. Cuius incolae tandem urbem defendisse feruntur, ut, quam prorsus nihil superesset, quo vesci possent, mulieres et pueros mactarent. Tandem oppidum cepit atque delevit Afranius. Clunia et Uxama pariter deletae sunt (5).

(1) Plut. Sert. 26, Pomp. 20. App. I. 115. Sall. III. 5. Liv. Epit. XCVI. Vell. II. 30. Front. II. 5. 32. Oros. I. 1.

(2) Plut. II. II. App. I. 1.

(3) Plut., App., Liv., Oros. I. 1.

(4) Plut. Sert. 27.

(5) Flor. III. 22. Val. Max. VII. 6. Ext. 3. Oros. V. 23.

Anno 71 uterque imperator Roman rediit, tropaeis in Pyrenaeis positis, et curru triumphali in Urbem invec-
tus est (1). Lege Cornelia Gellia Cornelii Lentuli et
Gellii Poplicolae consulum, anno 72 ex sententia senatus
lata, sanctum est, ut, quibus Pompeius civitatem dona-
verat, ii cives essent Romani (2).

Bellum Sertorianum per annos octo gestum est, si
tempus computamus inde ab illo anno, quo Sertorius,
a Lusitanis dux creatus, ex Africa in Hispaniam
rediit (3). Flos iuventutis in bello periit, vectigalia vix
belli sumptus sustinere potuerunt, et ipsa Hispania
maximam partem vastata atque exhausta erat. Sic
acerbissima vulnera hoc tempore accepit res publica. In
Hispania bellum teterrimum, res saepius desperatae:
aliud bellum ex Oriente imminens: Macedonia a barbaris
vastata: piratae oras maritimas depopulantes: domi
annonae caritas, indeque turbae civiles — haec erat
conditio rei publicae.

Metellus primus (4) triumphavit, deinde Pompeius (5)
prid. Kal. Ian. (6). Pompeius in tabulis suis oppida
DCCCLXXVI, ab Alpibus ad fines Hispaniae ulterioris

(1) Plut. Pomp. 22. Cic. p. l. Man. 21. Vell. II. 30. Plin. VII.
27. Flor. III. 22. Eutr. VI. 5. Val. Max. VIII. 15. 8.

(2) Cic. p. Balbo 8, 14.

(3) Sic. App. I. 108. Eutr. VI. 1. — Decem annos habet Oros.
V. 23, i. e. ab anno, quo primum in Hispaniam venit Sertorius.
Cf. Liv. Epit. XCVI. Verba Velleii (II. 90): „in tantum Sertorium
armis extulit [Hispania], ut *per quinquennium* diadicari non potue-
rit, Hispanis Romanisque plus esset roboris,” ut ex ipsis apparet, annos
spectant 79—75.

(4) Eutr. VI. 5 (4).

(5) Plut. Pomp. 22. Cic. p. l. Man. 21. Vell. II. 30. Flor. III.
22. Eutr. I. 1.

(6) Vell. I. 1.

in ditionem redacta, adscripta habuit (1). Hic annus imprimis triumphalis fuit; nam etiam Crassus de bello Spartacio ovationem egit (2), et M. Lucullus, vel rectius M. Terentius Varro Lucullus (3), triumphavit de populis Thracicis (4).

III.

BELLUM ADVERSUS CILICES GESTUM. BELLUM ILLYRICUM. BELLUM MACEDONICUM.

Vivo adhuc Sulla, varia consilia simul capta erant adversus Sertorium, Thraces et piratas. In prolegomenis vidimus, quanta esset piratarum audacia atque potestas. Itaque P. Servilius Vatia anno 78 in Ciliciam missus est, ubi praecipua erat eorum sedes. Dolemus sane, periisse Livii libros XC et XCIII; nam hoc bellum propter ingentes labores dignissimum videtur, quod melius cognoscatur. Cruenta pugna navali Cilicum classem fregit Servilius (5); sed recte intellexit, se nihil fecisse, nisi piratarum arces urbesque expugnaret. Itaque excensionem fecit, et varias Lyciae Ciliciaeque urbes cepit atque delevit (6), inter quas Olympum (7),

(1) Plin. VII. 27.

(2) Plut. Crass. 11. Cic. in Pis. 24. Plin. XV. 38. Gell. V. 6.

(3) Licet a Varrone adoptatus esset, saepius tamen apud veteres nomen *M. Lucullus* occurrit. Cf. huius Dispat. pag. 11.

(4) Cic. in Pis. 19. Entr. VI. 10. M. Lucillum hoc anno rediisse, apparet ex App. B. C. I. 120.

(5) Flor. III. 6.

(6) Liv. Epit. XCIII. Entr. VI. 3. Oros. V. 23.

(7) Cic. de l. agr. I. 2. Oros. l. c.

sedem Zeniceti archipiratae (1), ipsiusque urbes Corycum (2) et Phaselidem (3), porro Attaliam (4) aliasque. Hic primus Romanorum exercitum per Tauri latera in Ciliciam vergentia duxit. Isaura oppugnavit et evertit, Isaurosque devicit (5). Quis dubitat, quin iter illud in regione montuosa, deserta, sterili, Romanis ignota, ingentes labores, summa pericula, innumerabiles difficultates attulerit? Plures praedones vivos cepit Servilius quam omnes antea (6), inter hos Niconem, nobilissimum piratam (7). Verum praeter fortitudinem Servilii summa laudatur eius integritas, quippe qui omnia signa et ornamenta in bello capta accuratissime in tabulas publicas perscribenda curaverit, et quum magnam pecuniam inde redigere potuisset, statuerit, nihil sibi licere, quod non patrem suum, non avum Q. Metellum facientes vidisset (8). Triumphavit, et nomen meruit Isaurici (9).

Expeditio Servilii per triennium (10) gesta fuit; inde ab anno 78 usque ad annum 75 fere exactum. Locus Ciceronis (11), quo Servilius per quinquennium exercitui praefuisse dicitur, complectitur tempus inde ab anno 79, quo provinciam sortitus est Servilius, ad annum 75, quo triumphavit. Caesar in hoc bello sub

(1) Strabo XIV. 5. (III p. 225).

(2) Strabo, Eutr., Oros. II. cc.

(3) Strabo, Eutr., Oros. II. cc. Cic. Verr. II. 4. 10.

(4) Cic. de l. agr. I. 2, II. 19.

(5) Liv. Epit. XCIII. Strabo XII. 6 et XIV. 3 (III pp. 59 et 214).
Eutr., Oros. II. II.

(6) Cic. Verr. II. 5. 26.

(7) Cic. Verr. II. 5. 30.

(8) Cic. Verr. II. 1. 21, 3. 90.

(9) Strabo, Eutr., Flor., Oros. II. II.

(10) Eutr., Oros. II. II.

(11) Cic. Verr. II. 3. 90.

eo meruit, sed brevi tempore, nam comperta Sullae morte confestim Romam rediit (1). Unde apparet, Servilium ineunte a. 78, ante Sullae mortem, profectum esse.

Deinde in censum venit bellum Macedonicum, de quo pariter perpauca constant. Claudius Pulcher, anno 79 Servilii in consulatu collega, anno 77, compositis turbis Aemilianis (2), in provinciā abiit, et complura adversus Thraces proelia gessit, sed morbo correptus in provincia diem obiit (3). Successorem habuit C. Scribonium Curionem (cos. 76), qui se ad septentriones vertit, Dardanos vicit et ad Danubium penetravit. De rebus hoc in bello gestis nihil notum est, nisi unam legionem seditionem agitasse, et ignominiae causa, ademtis armis, in conspectu ceterarum copiarum, stramenta secare et fossas facere coactam esse (4). Intra triennium Curio belli finem fecit, et Romam reversus triumphum de Dardanis egit (5).

Eodem tempore C. Cosconius, vir praetorius, proconsulari potestate in Illyricum missus est, ut praedones expugnaret. Magnam Dalmatiae partem subegit, Salonas cepit, et biennio post Romam rediit (6).

Quamquam autem Servilius de Isauris, Curio de Dardanis triumphaverunt, et Cosconius quoque rem feliciter gessit, cavendum tamen, ne de illis victoriis nimis magnifice statuamus. Piratae enim non tantum non

(1) Suet. Caes. 3.

(2) Cf. supra p. 31.

(3) Liv. Epit. XCI. Flor. III. 4. Eutr. VI. 2. Oros. V. 23.

(4) Front. IV. 1. 43.

(5) Liv. Epit. XCII. Eutr., Oros. II. II. cf. Sall. II. 41.

(6) Eutr. VI. 4. — Cosconius praetor fuerat in bello Marsico, teste App. B. C. I. 52.

expugnati sunt, sed contra populari perrexerunt. Non in una duabusve regionibus castigari debebant, sed per totum mare Mediterraneum expugnari. Quod ad Macedoniam attinet, quam gentes circum Rhodopaeos montes habitantes populabantur (1), fortasse a Pontico rege incitatae, videtur Curio non in montes illos penetravisse (2), sed iuga transgressus, quae hodie dicuntur Ecrisu Dagh, ad alias gentes se convertit, Moesiam habitantes. Verum neque eius provinciae multum profuit illa de Dardanis victoria, quum successori M. Lucullo iterum bellum gerendum fuerit, neque ex illis victoriis pendebat salus imperii Romani. Macedonia erat provincia imprimis triumphalis (3), cuius fines quum ad septentriones vix definiti essent, gentesque finitimae maximam partem latrones essent, quum porro Romani totum orbem terrarum sibi subiicere studerent, eorumque duces maximopere triumphum accipere cuperent et imperatores salutari, itaque ab utraque parte crebrae fierent excursiones, facile praetextus belli inveniri potuit.

Post Scribonium Curionem, M. Lucullus, a. 73, consulatu nondum exacto, in Macedoniam abiit (4), quam provinciam sortitus erat. Primus Romanorum bellum intulit Bessis (5), quos ingenti proelio in Haemo monte superavit, quorumque oppidum Uscudaman unius diei spatio cepit; deinde ad Danubium penetravit (6), et Moesos subegit (7). Hoc bellum summa crudelitate

(1) Oros. l. l.

(2) Id ut credam, faciunt verba Flori: „tenebras saltuum expavit.”

(3) Cic. de prov. cons. 2.

(4) Liv. Epit. XCVII. Eutr. VI. 7 (6). Oros. VI. 3.

(5) Eutr. VI. 10 (8). Oros. l. l.

(6) Eutr. l. l.

(7) App. Illyr. 30.

gestum est; igni ferroque saevitum. Barbari ex hostium caesorum capitibus fecerunt pocula; contra Romani captivos vel necarunt vel manibus abscissis vivere iusserunt „superstites poenae suae,” ut dicit Florus (1). Porro in civitates ad Pontum Euxinum sitas se convertit Lucullus, quarum complures cepit, Calatin, Parthenopolin, Tomos, alias (2). Neque igitur Graecis pepercit, et Apolloniae ingenti Apollinis statua potitus est, quam postea posuit in Capitolio (3). Sic Macedoniam et Thraciam percurrens, triumphum consecutus est (4).

IV.

BELLUM MITHRIDATICUM,

usque ad exercitus regii ad Cyzicum interitum. — Antouii in Cretas expeditio.

Bellum maioris momenti anno 74 in Oriente exarsit. Legati Mithridatis, quum re infecta in patriam redierant (5), regem certiores fecerunt, quo loco essent res Romanorum: turbas Lepidi rei publicae imminere, bella geri in Macedonia atque Cilicia, praesertim in Hispania, et haud facile Romanos illis temporibus novum bellum, nedum orientale, esse decreturos. Neque ingratum Mithridati accidere potuit, pacis conditiones non esse sancitas, quippe quod opportunitatem ipsi praerberet classem et exercitum parandi. Statim e rerum conditione profi-

(1) Flor. III. 4.

(2) Eutr. I. 1.

(3) Plin. IV. 27, XXXIV. 18. App. I. c.

(4) Eutr. I. 1. cf. Cic. in Pis. 19. Plin. XXXIV. 18.

(5) Cf. supra p. 20.

cere coepit. Dum omnia parat, Tigrani suadet, ut incurrat in Cappadociam. De Tigrane nulla mentio in pacto facta fuisse videtur. Ille igitur, nullius foederis vinculo impeditus, Cappadocia potitur, et, exemplum secutus multorum victorum Asiaticorum, trecenta millia incolarum in Armeniam transfert, et novam iis assignat, quam condiderat, urbem, nomine Tigranocertam (1). Mirum videtur, senatum hoc facile passum esse. Nam licet Tigranem Cappadociae regem minime agnosceret, tamen regionem illam, in ditionem Armeniae redactam, ei non eripiebat. De Syria idem valet. Copiae Armenicae oras tenebant Syriae Ciliciaeque. Quod Roma socios regi Armenico relinquebat, non amorem pacis ostendit, sed debilitatem. Nam facile perspicui poterat, novum instare bellum Asiaticum. Ut enim olim Carthago cum Roma simul exstare nequivit, sic in Asia iuxta provinciam Romanam regnum Asiaticum exstare non poterat, et necesse erat, ut serius ocius bellum ad interneccionem gereretur. Dum tamen Roma haesitabat, Mithridates et Tigranes imperia firmabant.

Ceterum non erat, cur Tigranes bellum cuperet; quiescentibus enim Romanis, eo facilius Asia impune potiri poterat. Ipse Mithridates nullo modo foedus inter se et Sullam initum violabat. Regni fines proferebat, sed ad Pontum Euxinum, Colchidem, Iberiam; non vero aggrediebatur socios Romanorum. Bellum nondum optabat, sed nihilominus omnia sedulo parabat, et vero operam dedit foederi cum Sertorio feriendo (2). Videbat bellum instare, quod tamen commovere volebat, nisi omnia parata haberet.

(1) Strabo XII. 2 (III. p. 11). App. B. M. 67. Plut. Luc. 26 cf. 21.

(2) Vid. supra p. 69.

Quam parum Romani hoc tempore rebus Orientalibus se interius implicari cuperent, efficitur ex rebus Aegyptiacis et Cyrenaicis. Consilia Romanorum politica in hisce paullo obscuriora sunt (1). Cur senatus parum alacritatis probavit? Num eum latuit rerum conditio? Sed iam anno 77 L. Marcius Philippus dixerat, Mithridatem diem bello circumspicere (2). Apud veteres nullam causam reperimus; igitur ex ipsis rebus causam conicere debemus.

Iterandum videtur, quod iam supra diximus: contentionem sequitur remissio. Res publica bello Marsico et bellis civilibus adeo erat defatigata, ut a novis bellis abhorreret. Et tamen adhuc bellis premebatur, imprimis bello Hispaniensi, cui qualis quandoque finis foret, annis 76 et 75 nondum praevideri poterat. Ipsa Italia premebatur annonae caritate, in Macedonia exercitus alendus erat, in praedones expeditio paranda. Denuo largitiones frumenti vexabant aerarium, uti etiam emptiones extraordinariae in Sicilia factae. Vectigalia magna pro parte deerant, et sumptus valde augebantur. Bellum Orientale, si commoveretur, grave fore, id omni dubio maius erat. Hinc non miramur, senatum, quamdiu posset, tale bellum differre studuisse. Praeterea verendum erat, ne Pompeius, si aliquando ex Hispania rediret, imperio belli orientalis potiretur. Nullus senatui praesto erat, vir ea auctoritate conspicuus, ut ad bellum Mithridaticum gerendum idoneus videri posset. Metellus in Hispania erat, neque amplius is poterat videri, qui Mithridati par esset. Lucullus, qui unus praeter Pompeium aptus videbatur, quia Sulla duce in primo bello Mithridatico quaesturam gesserat,

(1) Cf. supra p. 21.

(2) Sall. I. 51. 8.

nondum consul erat creatus. Quum igitur ab altera parte immineret crescens Pompeii potentia, ab altera parte hostis Romanorum acerrimus, sponte intelligimus, senatum, graves dubitandi causas secum volventem, spem in tempore posuisse, quod salutem fortasse afferret.

Idem fere, me iudice, valet de rebus Aegyptiacis. Aegyptus ita sita erat, tanta classe tantisque opibus gaudebat, ut, qui ibi imperium gereret, si vir strenuus esset, e senatu fere non penderet. Quem autem in Aegyptum mitteret? Et Pompeius, si aliquando rediret, nonne Aegyptum sibi postulare posset? Sic praestare visum est, res Aegyptiacas adhuc mittere.

Optimatum factio in summum discrimen adducta erat. Nam regiminis forma vi instituta erat, non ex indole populi profecta, neque igitur factio illa locum, quem tenebat, servare poterat. Tum, ut iudicavi, timebat Pompeium, cui se imparem esse iam animadverterat. Spes eius tantum posita erat in quiete, dum res manerent, quales in praesenti erant. Quare optimates haesitare erat necesse, ne ipsi motus concitarent, qui sibi interitum afferre, quorumque initia facilius quam finis computari possent. Eorum imprimis intererat, tandiu saltem diem differre, donec L. Lucullus consulatum gereret.

Verum, ut saepius fit, instante bello ab utraque parte proviso, quod tamen neutra adhuc decernere cupit, subito bellum exarsit, opportunitate non inopinata quidem, sed eo tempore fortasse nondum exspectata. Nicomedes, rex Bithyniae, diem obiit, et testamento populum Romanum regni heredem scripserat (1). Sic, ineunte anno 74 (2), Mithridates vicinus Romanorum factus est. Tempus opportunum videbatur; praesta-

(1) App. B. M. 71, B. C. I. 111, Eutr. VI. 6.

(2) App. B. C. I. 1, Eutr. I. 1.

bat, ipsum indicere bellum, quam ab hoste indictum exspectare. Itaque Mithridates a. 74 bellum incepit.

Sed antequam exercitus in Orientem parari posset, Pompeio auxilia decernenda erant, non quo citius bellum Hispaniense componeret, sed ne rediret, et belli Asiatici imperium, quod cupiebat Lucullus, ipse postularet. Bellum Mithridaticum Lucullo mandatum est, Cottae autem classis, et censuit etiam senatus, adversus praedones omnium marium litorumque imperium uni viro esse deferendum. Hoc M. Antonius praetor Cethegi et Cottae auctoritate nactus est (1). Lucullus et Cotta ante finem consulatus in provinciam abierunt (2) Lucullus unam tantum legionem ex Italia deduxit, cui adiecit duas legiones Fimbrianas (3), quae post mortem Fimbriae Valerium Flaccum ducem elegerant (4), duasque alias, ita ut praeesset triginta millibus peditum, et equitibus mille et sexcentis (5). Copiae illae Asiaticae laborabant mollitia et disciplinae remissione. Fimbrianos Plutarchus dicit *αὐθάδεις μὲν ἀνθρώπους καὶ παρνώμους, μαχητικούς δὲ καὶ γλήμονας μετ' ἐμπειρίας πολέμου*. Ceterae legiones ad libidinem suam bellum gerere solebant. Brevi tamen tempore Lucullus disciplinam restituit (6), sed amorem militum consequi non potuit.

Mithridates multo maiorem exercitum contraxerat, multoque melius instructum quam in primo adversus Romanos bello. Omni vano splendore remoto, milites suos non armavit armis auro et argento ornatis, sed gladiis clypeisque

(1) Cf. supra p. 41.

(2) Liv. Epit. XCIII et XCIV. Eutr. VI. 6. (5).

(3) App. B. M. 72.

(4) Plut. Luc. 7.

(5) App. I. I.

(6) Plut. I. I.

Romanis; classis non amplius onusta fuit splendida suppellectile ornamentisque, sed armis instructa atque telis (1); in variis locis maritimis rex ingentia condidit horrea (2). Exercitus eius, teste Plutarcho (3), constabat centum et viginti millibus peditum, sedecim equitum, et centum curribus quadrigarum falcatis, quamquam alii (4) maiorem numerum afferunt.

Decreto bello, Mithridates statim in Bithyniam irrupit. Gratus erat incolis, quibus haud minus quam toti provinciae Asiae Romani erant invidi. Publicani enim, Asiam vexabant (5), et viginti millia talentorum, quibus Sulla Asiam mulctaverat, iam incredibili modo creverant.

A Bithyniis igitur benevole acceptus, Mithridates filium quemdam Nicomedis nothum regni heredem produxisse videtur (6). Interea classis regia, duce Aristonico (7), Heracleam aggressa, urbem quidem non cepit, sed eam tamen, nonnullis e nobilissimis civibus ab Aristonico captis, cum ipso foedus inire coëgit (8).

Dum Lucullus disciplinae restituendae animisque Asianorum, quantum poterat, placandis operam dabat, et hac de causa adhuc in provincia commorabatur, Cotta tempus opportunum sibi putavit, ut cum regis copiis

(1) Plut. l. l.

(2) App. B. M. 69.

(3) Plut. l. l.

(4) Strabo XII. 8 (III. p. 70). Memn. Fragm. 37. App. l. l.

(5) Plut. l. l.

(6) Sall. IV. 19. 9. Cf. Kritz ad h. l. et ad II. 57, Orell. Onom. Tull. II. 421 a., Drum. IV. 128.

(7) Plut. Luc. 11. Memnon 38 et 40 scribit *Archelaum*, classi praefectum.

(8) Memn. 38.

congrederetur. Et quum multi nuntiarent, Lucullum iter iam suscepisse, Cotta, proelium exoptans, ne victoriae particeps collega fieret (1), apud Chalcedonem manum conseruit (2). Nudum classis praefectum miserat, qui partem planitiei ad urbem sitae occuparet; hic vero a Mithridate depulsus cum suis ad urbem confugit, hoste persequente. Quum igitur fugitivi summa perturbatione in portas irraerent, portarum custodes, ne victores simul cum victis intrarent, eas clauserunt. Nudus et pauci alii duces funibus sursum in moenia tracti mortem effugerunt; ceteri ante muros vel interfecti vel capti sunt. Mithridates, ex hoc rerum eventu proficiens, eodem die impetum fecit in portum, perrupta catena, qua clausus erat, circiter sexaginta naves cepit (3), et Romanos in urbe inclusos obsedit (4). A Mithridatis parte perpauci caesi erant (5), Romani vero tria (6) vel quatuor (7) millia et totam classem (8) amiserant, et ab uno Lucullo salutem sperare poterant. Hic, quum iam ad Sangarium, Galatiae et Bithyniae flumen, pervenisset (9), Cottae cladis certior factus, statim huic optulari decrevit. Erant in exercitu, qui, aegre ferentes Cottae immodicam gloriae cupidinem, Lucullum monerent, ut potius Pontum ingrederetur. Archelaus, qui in primo bello exercitui regio

(1) Plut. Luc. 8.

(2) Plut. l. l. App. 71. Memn. 39. Liv. Epit. XCIII.

(3) App. l. l.

(4) Plut., App., Memn. II. II.

(5) App. l. l. tradit 20 ex Bastarnis; Memn. l. l. universe 730.

(6) App. l. l.

(7) Plut. l. l. — Memn. l. l. memorat 17800 Romanos tum caesos, tum captos.

(8) App. memorat 64 naves; Plut. 60.

(9) Memn. l. l.

praefuerat, sed postea, a rege prodicionis insimulatus, ad Romanos profugerat, facilem victoriam Lucullo praedixit, rege absente. Verum hic respondit, se haud ignaviorem venatoribus esse, non vacua lustra, sed feras quaerentibus, et copias adversus regem duxit (1). In itinere apud Otryas in Phrygia ei obviam fit pars copiarum hostilium, duce Mario sive Vario (2) illo, quem Sertorius in Asiam miserat. Quum in eo essent, ut manum consererent, prodigium aërium eos a pugna abstinuit. Neque Lucullus proelium optabat; consilium belli iam inierat, consabatque tantum exercitum, quantum regis esset, fame citius quam armis oppressum iri, neque ullius hominis thesauros ad has copias diu alendas sufficere. Idecirco, proelio vitato, regis castris Romana opposuit, et quum captivos fecisset nonnullos, unum horum interrogavit, quot habuisset contubernales, deinde quantam alimenti copiam in contubernio reliquisset. Ex huius dictis, quae alter et tertius e captivis confirmarunt, Lucullus effecit, hostibus trium modo vel quatuor dierum alimenta superesse. Itaque, idonea frumenti copia collecta, desidiam servavit, et regium quoque exercitum ad desidiam coëgit (3).

Et mox quidem Mithridates, ut Lucullus recte praeviderat, alium locum petere debuit. Ineunte nocte, ut Lucullum iter lateret, castra movit, et, ad solis occasum se convertens, mane prope Cyzicum advenit (4), incolis minime opinantibus (5), et, occupatis pontibus duobus, qui insulam eiusdem nominis, in qua urbs sita

(1) Plut. Luc. 8.

(2) Cf. supra p. 70.

(3) Plut. Luc. 1. 1.

(4) Plut. Luc. 9.

(5) Strabo XII. 8. (III. p. 70). Plut. 1. 1.

erat, continenti iungebant (1), Cyzicum obsidere coepit (2). Lucullus autem, eum secutus, haud procul a litore consedit, eo consilio, ut iterum regem, frumentatione impedita, fame pelleret, itaque urbem, fidelissimam Romanorum sociam, quae in pugna ad Chalcedonem decem naves et tria millia militum amiserat, ab obsidione liberaret. Adventus eius Cyzicenos latebat: nihilominus, quum subito regias catervas in continenti conspicerent, et regiam classem a mari sibi imminentem, Pisistrato duce, oppidum strenue defendere decreverunt. Castra Romana procul adspicere poterant, sed regii milites eos decipiebant et, copias Luculli obsessis manu ostendentes, illumne, aiebant, videtis exercitum? Ecce copiae Armenicae, a Tigrae in auxilium Mithridatis missae. — Quum animadverteret rex, non facilem fore victoriam, oppidum enixe aggressus est (3). Haec autem Cyzici obsessio dignissima est, quae paullo fusius enarretur.

Urbe terra marique clausa, Mithridates Isthmum, qui pontibus Asiae iunctus est, duplici muro vallavit, et ipsum Cyzicum a terra fossa circumdedit. Deinde apparatus et machinas confici iussit, turres atque arietes. Praeter alia turrim exstruxit centum cubitos altam, ex qua altera surgebat turris, catapultis munita, unde lapides et tela in urbem conicerentur. A mari duae quinqueremes iunctae aliam turrim continebant, unde pons in moenia demitti poterat (4). His omnibus paratis, rex tria millia civium, quos in classe ex clade Cottae captivos habebat, navibus ad urbem

(1) Strabo l. 1.

(2) Strabo et Plut. II. II. App. 72.

(3) Plut. l. 1.

(4) App. 73. Sall. III. 21.

adduci iussit, qui, manus ad murorum defensores tendentes, ab iis procreantur, ut urbis deditione ipsos a morte liberarent; sed Pisistratus iis respondit, ipsos, quum captivi essent, forti animo sortem ferre debere (1).

Interea Lucullus collem quemdam occupare studebat, unde facile commeatus frumenti impedire posset. Sed per fauces tantum aditus ad collem Romanis patebat, et has quidem strenue custodiri iusserat Mithridates, e consilio Taxilis ceterorumque ducum. Sed L. Magius, idem ille, qui cum L. Fannio foederis Sertorium inter et regem initi auctor fuerat (2), per nuntios cum Lucullo agere coeperat, ut in patriam reditum sibi pararet (3), et regi suasit, ut fauces sine custodia relinqueret, praetendens, legiones duas Fimbrianas, opportunitate data, a Lucullo defecturas esse. Cui sermoni eo facilius fidem habuit Mithridates, quoniam Fimbriani illi milites partes secuti erant Marianae factionis, pariter ac Sertorius, quocum pactum inierat. Sic a faucibus custodiendis abstinuit, et Romanorum per illas iter haud impediens, eos, ubicumque vellent, considerare sivit (4). Castra Lucullea in conspectu urbis erant, sed tamen adeo remota, ut oppidani signa Romana agnoscere non possent. Plurimum Luculli intererat, cives adventus sui certiores facere, cumque iis consilia sua communicare, ut eo usque perseverarent, donec, frumentatione impedita, alimentorum inopia a Cyzici moenibus regem propulisset. Paulo quidem ante Archelaus per Demonacem quemdam praesentiam Luculli oppidanis nuntiaverat. Sed hi insidias

(1) App. 73. Front. IV. 5. 21.

(2) Cf. supra p. 69.

(3) App. 72: ἀνηχημένον τοῦ Σερτορίου. Sed Sertorius non ante annum 72 interfectus est.

(4) App. 1. 1.

metuentes, ei non crediderunt. Et re vera difficile iis ad intelligendum erat, nisi Luculli consiliorum certiores facti essent, cur hic auxilio ipsis non veniret. Num illae copiae, quarum procul castra conspiciebant, si Romanae essent, desides in monte considerent? Mox vero Lucullus militem quemdam nandi et nauticae artis peritum, insidentem duobus inflatis utribus literas insutas habentibus, nando mare traicere iussit (1). Qui quum feliciter in oppidum pervenisset, cives animis reffectis eo fortius regi restiterunt. Mox Lucullus nocte alios nuntios misit ope scaphae, quam e lacu Dascylitidi plaustro ad mare portandam curaverat (2). Illo his intento et castra sua optime muniente (3), Mithridates impetum in Cyzicum facit. Verum Cyziceni praeclara fortitudine pro aris et focis certaverunt. Quum turris navalis ad moenia accessisset, et pons demissus esset, magnus terror Cyzicenis iniectus est; ubi vero quatuor tantum milites e turri egredientes viderant, ignem et picem in naves iniecerunt, ita ut illae proras vertere et a proelio desistere deberent. Terra quoque summa contentione dimicatum est. Dum Mithridates omnibus, quas paraverat, machinis muros diruere conatur, incolae lapides in testudines conicere, laqueis hamisque vim arietum imminuere, lanarum sarcinis muros tegere, et tecta domorum protegere velis vestibisque, quas aqua et aceto assidue madefaciunt, ne a malleolis inflammantur, saxa ingentia a moenibus in hostium capita deicere et orbis axe iunctos, unde in modum ericii militaris veruta eminent binum pedum (4). Adeo acres tamen fuerunt

(1) Front. III. 18. 6. Cf. Sall. III. 20.

(2) Plut. l. 1.

(3) Huc enim cum Kritzio refero Sall. III. 18.

(4) App. 74. Sall. III. 22 et 23 ibique Kritz de loci lectione.

hostium impetus, ut sub noctem pars muri incensa procideret. Verum ipsae flammae impediverunt, quominus hostes in urbem irruerent, et noctu incolae, quantum poterant, murum refecerunt (1). Tum, antequam Mithridates, machinis reffectis, denuo impetum periclitari posset, procella exorta est vehementissima, quae brevi machinas regias diruit, et ingentem illam turrin quassatam pervertit (2). Hanc procellam incolae tribuerunt irae Proserpinae, cui oppidum sacrum erat (3), et auxilio Minervae (4). Accesserunt prodigia complura (5), quae Cyzicenorum fortitudinem adeo auxerunt, ut defensionem maximam operam navare pergerent.

Quamquam regius exercitus fame premebatur, Mithridates tamen ab incepto desistere noluit, quippe qui novos commeatus maritimos exspectaret. Partem tamen copiarum, maxime equitatum, inopiae leniendae causa, in Bithyniam remisit. Quod quidem animadvertens Lucullus, statim media nocte ad castra festinavit, et mane cum decem cohortibus et equitatu hostes secutus, licet hiems esset et dies nivosus, multique in itinere prae frigore et itineris celeritate succumberent, copiis regis ad Rhyndacum flumen in finibus Bithyniae adeo inopinato supervenit, ut nullae fere in Bithyniam pervenirent, et Romani cum quindecim millibus captivorum, praeter sexies mille equos et ingentem iumentorum numerum, in conspectu hostium Cyzicum oppugnantium ad castra redirent (6).

(1) App. 74. cf. Sall. III. 26.

(2) Plut. Luc. 10. App. I. I. cf. Sall. III. 24—26.

(3) Plut. I. I. App. 75.

(4) Plut. I. I.

(5) Plut., App. II. II.

(6) Plut. Luc. 11. App. 75. Memn. 40.

Quo tempore haec ad Cyzicum agebantur, Eumachus, unus e Mithridatis ducibus, in Phrygiam incurrit, procul dubio sperans fore, ut Lucullus vires divideret. Verum hic in aciem non prodiit, licet Eumachus Pisidas, Isauros, Cilices subigeret, qui tamen a Deiotaro, Galatiae tetrarcha et socio populi Romani, magna clade affectus et pulsus est (1). Tandem, quum fames, frigus, morbi copias delerent, et hiems comteatus quoque maritimos impedire inciperet, quumque Cyziceni, eruptione facta, novos regis apparatus vallumque delevisent (2), Mithridates cum parte copiarum noctu navibus effugit (3). Triginta millia militum regis, Hermaco et Vario ducibus ad solis occasum iter flectentia, Lucullus ad Aesepum flumen (4) assecutus vehementer laceravit. Altero proelio commisso ad Granicum, reliquiae Lampsacum confugerunt (5). Ubi quum Lucullus eos obsideret, rex, qui Parium appulerat, naves Lampsacum misit, quae copias et Lampsaccenos, si non omnes, saltem ditissimos, reciperent (6). Eodem fere tempore Aristonicus a Lucullo captus est. Quum enim legionarios Fimbrianos auro corrumpere studeret, hi, ei se favere simulantes, tum pecunia, tum etiam ipso Aristonico potiti sunt (7). Omnia regi adversa fuerunt. Classe quinquaginta navium, ducibus Vario, Alexandro Paphlagone et Dionysio eunucho, in Propontide relicta, ceteris navibus Nicomediam petere voluit. Sed procellis multae utriusque classis naves interierunt.

(1) App. I. 1.

(2) App. 76. Plut., Memn. II. II. Sall. III. 28 et 29. cf. Liv. Epit. XCV, Vell. II. 33, Flor. III. 5, Eutr. VI. 6 (5), Oros. VI. 2.

(3) App. I. 1.

(4) App., Memn., Flor. II. II.

(5) Plut. Luc. 11, Flor. I. 1.

(6) App. I. 1.

(7) Plut. I. 1.

Lucullus interea Cyzicum adiit, ubi in honorem eius festa, Lucullea dicta, instituta sunt, quae Appiani tempore adhuc celebrari solebant (1). Obsessio Cyzici incidit in hiemem annorum 74 et 73. Fugato rege, Lucullus in ipsum Pontum bellum transferre studuit.

Quid interea fecerat M. Antonius, cui oras maritimas tum Italiae tum provinciarum mandatas fuisse supra vidimus (2)? Expectares, eum ingenti illa potestate usum esse ad piratas, socios illos Mithridatis, expugnandos, certe eum operam dedisse, ne Asiae litora, dum Lucullus bellum gerebat, ab iis infestarentur. Verum potestate sua non tam adversus praedones usus est, quam in provinciis diripiendis (3). Attamen, quum semper deses manere non posset, Cretensibus bellum intulit, qui piratas in portus receperant, et Pontico regi favebant. Tanta spe fiduciaque victoriae insulam aggressus est, ut plures catenas, quam arma in navibus secum duxisse dicatur (4). Sed plerasque naves intercepte Cretenses, captivos de velis ac funibus navium suspenderunt, et naves devictas triumpho in portum duxerunt (5). Ipse Antonius, turpi pace inita, antequam in Italiam rediisset, prae dolore et dedecore a. 71 mortuus est (6). Per irrisionem nomen Cretici obtinuit (7). Sic expeditio illa irrita evasit, et ludibrio atque dedecori fuit nomini Romano, donec Metellus, a. 69 consul, Cretam Romanis vindicavit, et Pompeius a. 67 praedones uno fere ictu a maribus pepulit.

(1) App. l. i.

(2) P. 41.

(3) Cic. Verr. II. 2. 3. Pseudo-Ascon. ad h. l. et ad I. 23.

(4) Flor. III. 7.

(5) Flor. et Pseudo-Asc. II. II.

(6) Liv. Epit. XCVII. Pseudo-Asc. II. II.

(7) Plat. Anton. l. App. Cret. 6.

V.

BELLUM MITHRIDATICUM.

ab exercitus regii ad Cyzicum interitu ad a. 71 exitum.

Antequam Lucullus in Pontum tendere posset, classis ipsi paranda erat, ut regiam classem a mari pelleret, neque rex, dum Romani in ipso Ponto bellum gererent, in Hellesponti et Propontidis oras rursus traiceret. Cotta enim classem maxima pro parte apud Chalcedonem amiserat, et, etiamsi integram adhuc habuisset, haec tamen parum profuisset Lucullo, quum Cotta, quandiu in Asia degit, semper sua ipsius consilia secutus esse videatur. Lucullus igitur Cyzico ad Hellespontum profectus, statim classi sibi parandae operam dedit. Qua in re tanta liberalitate tota Asia optatis eius annuit, ut senatui, qui tria millia talentorum ei concesserat, responderet, se sine impensis aerarii, ope sociorum, bellum esse gesturum (1). Et mox nomen eius mari quoque barbaros terruit. Primum prope oram Mysiae classe tredecim navium quinqueremium potitus est, caeso harum duce Isidoro (2). Deinde classem a rege relictam apud Lemnum insulam aggressus, eam cepit, neque ulla fere barbaris fuit fugae opportunitas. Quum enim illi, adventante Lucullo, nollent ancoras solvere, sed e litore naves acriter defenderent, ipse partem navium insulam flectere iussit, unde, exscensione facta, Romani a tergo hostibus supervenerunt. Duces vivi capti sunt, quorum Dionysius, ne triumphum ornaret Luculli, veneno se ipse interfecit, Varius autem supplicio multatus est (3). Hisce feliciter peractis, Lucullus literis

(1) Plut. Luc. 13.

(2) Plut. Luc. 12. App. B. M. 77. Memn. 42.

(3) Plut. App. II. II.

laureatis senatui populoque Romano victorias suas nuntiavit (1), et iter in Bithyniam vertit.

Voconium Barbam et Valerium Triarium legatos miserat, qui regem persequerentur, quorum Barbas Bosporum Thracicum custodire debebat, ne regia classis e Propontide egredi posset. Ille vero, in Samothrace commoratus, ut mysteriis initiaretur, regem a Ponto Euxino non intereludit (2). Triarius Apamcam cepit, magna civium caede facta; Prusiade et Nicaea Barbas potitus est (3). Mithridates, licet Romana classis eum assecuta non sit, gravia tamen mala passus est. Navibus enim vehementi procella fractis disiectisque, ipse parva quadam praedatoria navi Heracleam Ponticam appulit, navibus fere sexaginta et decies mille militibus amissis (4), „plane quasi Lucullus,” ait Florus (5), „quodam cum fluctibus procellisque commercio, debellandum tradidisse regem ventis videretur.” Auro blandisque promissis rex effecit, ut Lamachus, princeps Heracleae magistratus, portam clam incolis ipsi aperiret. Quum paullatim aliae quoque naves e calamitate superstites Heracleam appulissent, quatuor millibus duce Connacorrice in urbe relictis (6), rex cum reliquiis classis Amisum, oppidum Pontici regni, petiit (7). Quo quum venerat, animum non despondit, sed statim ad Tigranem misit et ad Macharem, filium suum, quem regionum ad Bosporum Cimmericum sitarum satrapen constituerat,

(1) Plut. App. II. II.

(2) Plut. Luc. 13.

(3) App. I. I. Memn. 41.

(4) Plut. I. I. App. 78. Memn. 42. Flor. III. 8. Oros. VI. Appianus narrat regem appulisse *Sinopen*, Plut. et Memn. *Heracleam*.

(5) Flor. I. I.

(6) Memn. I. I.

(7) App. Memn. II. II.

ab utroque auxilia petens. Tum etiam Dioctem cum multa pecunia multisque donis in Scythiam misit, qui delectum haberet; sed hic ad Lucillum transfugit (1). Quo tempore Cotta Heracleam clausit atque oppugnare coepit, et Triarius Hellespontum custodire debebat, ne regiae naves ex Creta vel Hispania redeuntes Pontum peterent, Lucillus regem persequi statuit (2). Initio, quum per regiones bello devastatas iter duceret, triginta millia Galatarum, frumento humeris imposito, exercitum sequebantur (3). Deinde vero, quum propius ad Pontum accederet, omnium rerum Lucullo copia fuit (4). Ipsum Pontum ingressus, Lucillus simul Amisum et Eupatoriam alioque exercitu Themiscyram oppugnavit. Incolae harum urbium strenue eas defenderunt; sic ad Themiscyram sacpius in cuniculis dimicatum est, et oppidani, factis superne foraminibus, ursos aliasque feras et examina apum demisisse feruntur, ut operarios inde pellerent (5). A Lucullo autem remissius res gestae sunt, adeo ut milites eum dicerent omnia oppida simul aggredi, nullam vero vi capere; quererentur autem, se per tantum temporis spatium tulisse belli labores, nec tamen unius oppidi praedam habuisse. Et ille quidem, initio nulla talium sermonum ratione habita, quum tamen alii quoque ipsius segnitiam accusarent, respondit, se non oppidis potiri velle, verum id agere, ut regem ad pugnam alliceret, et huic tempus esset ad vires reficiendas: se enim, quum in itinere regem assequi non potuisset, magis optare, ut ille viribus reffectis oppida ista ab obses-

(1) App. I. I. Memn. I. I. et 43.

(2) Memn. 43.

(3) Plut. Luc. 14.

(4) App., Plut. II. II.

(5) App. I. I.

sione liberandi causa accederet, quam ut, nimis a se pressus, ad Tigranem aufugeret, et fortasse cum toto Armeniorum exercitu rediret (1). Sed spes Lucullum fefellit. Mithridates Cabiris hiberna posuerat, unde saepius arma, frumentum, milites in urbes oppugnatas misit, sed in campum non prodiit. Refecto exercitu, vere anni 72 quadraginta millibus peditum et quatuor equitum praerat (2).

Tandem Lucullus, cuius copiae hanc quoque hiemem in castris egerant, intelligens consilia sua irrita fore, ipse regia castra petere statuit. Murena, filio Murenac illius, qui Sulla imperatore in Asia meruerat, cum duabus legionibus ad Amisum relicto (3), cum ceteris copiis ad Cabira iter convertit. Nihil aliud exspectaverat Mithridates. Itaque in montibus, quos Lucullus traicere debebat, stationes disposuerat, quae facibus Romanorum adventum significarent. Verum Phoenix, regia stirpe ortus, qui stationibus illis praefectus erat, ad Lucullum transfugit; prius tamen, dubius, ut videtur, haerens, num regem proderet, signa dederat (4). Quum vero Lucullus fauces transgressus e proelio equestri inferior decessisset, Romani in montes recesserunt (5). Hinc ille propter equitatus regii praesentiam in planum redire volebat, neque tamen hostem loco movere potuit, donec forte in Graecum quemdam, Artemidorum, incidit, viarum gnarum, qui per semitas et in via loca Romanos nocturno itinere in locum tutum

(1) Plut. 1. 1.

(2) App. 1. 1. Memn. 1. 1., qui 8000 equitum memorat.

(3) Plut. Luc. 15. Phlegon apud Phot. in Müll. fragm. Hist. Gr. III. 606.

(4) App. 79.

(5) Plut. App. II. II.

duxit, supra regia castra situm (1). Conditio tamen utriusque exercitus ea erat, ut neque rex neque Lucullus manum conserere in animo haberet. Lucullus autem frumentum e Cappadocia accipere debebat, quia regio montuosa et sterilibus erat. Itaque Mithridates commeatus intercipi iussit, sperans fore, ut idem Lucullo eveniret, quod sibi evenerat ad Cyzicum (2).

Interea vix sicam effugit Lucullus. Quum enim iam complures, ut Diocles et Phoenix, a rege defecissent, et grato animo excepti essent, hac ipsa prodicione Mithridates Lucullo calamitatem struxit. Olcaba, princeps quidam Scytharum, in castra Romana venit, simulans se a rege defecisse. In gregem equitum receptus, initio tamen non sine tacita custodia habitus („quia nec credi subito transfugae, nec inhiberi reliquos oportebat“), fortitudine et prompta in excursionibus opera fidem sibi comparavit, ita ut tandem liber ei esset ad praetorium aditus. Tum tempus elegit, quo Lucullum interficeret. Sed forte imperator, nocturnis cogitationibus vigiliisque fatigatus, illo die somno sese dederat. Quare Olcabam intrare cupientem Menedemus servus exclusit, et dicenti, se subitum aliquid ac necessarium nuntiandi causa venisse, respondit, nihil esse magis necessarium domini valetudine. Ille, metuens ne suspectus esset, equis, quos ante portas paratos habebat, ad regem refugit (3).

Licet ab utraque parte grave proelium vitatum esse videatur, procurationes tamen non defuerunt. Sic venatores regii cervum persequentes, nonnullis e Romanis obviam facti, in fugam eos conicerunt, et ad

(1) Plut. App. II. II.

(2) App. 80.

(3) Front. II. 5. 30. Plut. Luc. 16. App. 79. — Apud Plut. legitur *Othacus*, apud Front. *Adathas*.

castra usque persecuti sunt, unde Lucullus, ipse accurrens, parvo labore eos depulit (1). Alia opportunitate, frumentatores Romanos barbaris aggressis, Mithridates Romanos iam victores et regia castra petentes, in fugam convertit (2). Paulo post Sornatius, legatus Luculli, cum commeatu e Cappadocia rediens, Menandrum, qui ipsum aggressus erat, fudit; et quum in alium legatum, Adrianum, rex Myronem et Menemachum duces misisset, hi tantam cladem passi sunt, ut ex eorum copiis pauci tantum milites in castra redirent (3). Imprimis natura locorum Romanos iuuit, quoniam in angustiis equitatus plus damni quam commodi afferebat. Adrianus cum praeda regia castra praeteriit, quod summum terrorem barbaris iniecit. Quum igitur rex, timens, ne Lucullus copias suas animum despondentes aggrediretur, consilium alio discedendi cum amicis communicasset, hi autem paullo festinantius et imprudentius suas quisque sarcinas e castris emitterent, milites, metu et indignatione commoti, ceperunt arma, ad portas ruerunt, iisque angustioribus partem valli complanarunt, et in duces eorumque res saevierunt. Dorylaus, unus e ducibus, mortem obiit propter purpuream, quam gestabat, vestem; Hermaeus sacerdos protritit est; ipse rex nec precibus nec minis quidquam perficere potuit. Huius turbae certior factus Lucullus, equitatum in hostes misit, qui eos ubique fugientes persequeretur. Ipse pedites adversus castra duxit, praecipiens, ut omnia caederent, neque praeda facienda tempus tererent. Mithridates solus e castris effugit, non suo ipsius verum Ptolemaei eunuchi

(1) Plut. Luc. 15.

(2) App. 80.

(3) Plut. Luc. 17. App. 81.

equo, quem hic regi tradidit. Atque adeo ei iam imminabant equites Romani, ut procul dubio ipsum cepissent, nisi mulum auro onustum, consulto fortasse relictum, in via invenissent. Tum enim, praedae cupidine correpti, regem evadere passi sunt. Et praeter ipsum regem alii multi evaserunt, Romanis maiorem castris diripiendis quam persequendis fugitivis operam dantibus. Tanta fuit eorum avaritia, ut Callistratum, scribam regis, quem vivum ad se adduci Lucullus iusserat, habentem quippe in zona quingentos nummos aureos, in via interficerent (1).

Mithridates feliciter Comana petiit, unde cum duobus millibus equitum ad Tigranem aufugit. Verum, ne uxores aliaeque ipsi carae feminae a Romanis caperentur, Bacchum vel Bacchidem eunuchum eas interficiendi causa Pharnaciam misit. Uxorum altera, Berenice, Chio oriunda, venenum sumpsit, sed lentius moriens, ab eunuchis strangulata est; altera, Monima Milesia, quum frangeretur diadema, ex quo se suspenderat, hisce verbis: „exsecrabilis fascia, ne ad hoc quidem mihi proderis?“ eunuchi gladio se obtulit. Ex sororibus Statira fratrem laudibus prosecuta est, quod in vitae discrimine ipsas non neglexisset, sed prospexisset, ut liberae contumeliaeque expertes morerentur (2).

Lucullus, Cabiris et deinde Comanis potitus, regem ad Talaura usque persecutus est; deinde per Armeniam Minorem in Pontum rediit, subiectis Chaldaeis et Tiberenis (3), et compluribus oppidis atque arcibus occupatis. In quo itinere multis thesauris potitus est, multosque liberavit captivos carceribus inclusos, tum e Graecis,

(1) Plat. 17. App. 81, 82. Memn. 44.

(2) Plat. Luc. 18. App. 82. Memn. 1. 1.

(3) Plat. Luc. 19.

tum ex ipsis regis cognatis (1). Appio Claudio ad Tigranem misso, qui ab hoc peteret, ut Mithridates Romanis traderetur, Lucullus iter ad Amisum convertit.

Sic igitur, saltem exeunte anno 71 (2), Asia et Pontus

(1) Plut. Luc. 18. Strabo XII. 3. (III. pag. 41.)

(2) Quaeritur, num Lucullus regem anno 72 an 71 fugaverit. Off. Drumann IV. 133 sqq., qui fugam illam refert ad annum 71, et Clinton Fasti Hell. ad a. 72, cui placet annus 72, quem secutus Fischer Röm. Zeitt. p. 202 contra Drumannum disputat. Ab utraque parte gravia afferuntur argumenta. Ego autem annum 71 praetuli propter Epit. Liviani l. XCVII. In Epitome enim l. XCVI memorantur clades Arrii praetoris, Lentuli et Gellii consulum, Cassii proconsulis et Manlii praetoris, in bello gladiatorio devictorum; deinde nex Sertorii et Perpernae: quae omnia ad a. 72 pertinent. In Epitome libri XCVII afferuntur victoriae Crassi (a. 71), mors Antonii Cretici, Thraces a M. Lucullo, qui a. 71 Romam rediit, subacti, L. Luculli victoria *in Ponto* de Mithridate reportata, consulatus Pompeii et Crassi (a. 70), lex Aurelia iudiciaria (a. 70). Tandem haec occurrunt: „Mithridates, desperatione rerum suarum coactus, ad Tigranem Armeniae regem confugit.” Unde satis constare mihi videtur, victoriam ad Cabira reportatam pertinere ad a. 71. Verum quaeri potest, cur in hac Epit. regis ad Tigranem fugae mentio fiat inter res a. 70 gestas. Nempe quam Tigranes non ante a. 70 ex Syria in Armeniam redierit, neque ante Appii Claudii legationem Mithridates in aulam Tigranis receptus sit, Livius extremo libro XCVII Claudii legationem, et simul Mithridatis fugam et in aulam Armenicam adventum enarrasse mihi videtur.

His monitis, refutanda superest Clintonis et Fischeri temporis computatio. Scilicet secundum Memnonem (46) Mithridates iam per viginti menses in Armenia degerat, antequam Tigranes cum ad se vocaret. Tempus illud Fischerus (p. 205) computat ab extremo anno 72 ad medium annum 70. Nobis autem, ratione superiorum habita, computandum videtur a medio anno 71 usque ad initium anni 69, quo Lucullus bellum in Tigranem suscepit, vel a vere anni 71 ad finem anni 70.

hostibus purgati erant. Urbes nonnullae Romanis adhuc resistebant, ut Heraclea, Amisus, Eupatoria, aliae; attamen Lucullo satis otii erat, ut Asiae provinciae subveniret, a publicanis crudelissime vexatae.

Perpetua oratione de rebus a Lucullo gestis egimus;

Itaque, quoniam neque Fischero concedo, pugnam ad Cabira commissam esse anno 72, nec tamen Drumanno, obsessionem Amisi incidisse in hiemem annorum 72 et 71, temporum ordo sic constituendus mihi videtur. Ineunte anno 73 Mithridates omisit Cyzici obsessionem. Hoc ipso anno Lucullus, summa celeritate classe parata, in Bithyniam festinavit, ubi se regem adhuc inventurum esse sperabat (Plut. Luc. 13 init.), quod sperare non potuisset, si (prouti Drum. statuit) non ante a. 72 in Bithyniam esset profectus. Obsessio igitur Amisi a Lucullo coepta est hieme annorum 73 et 72. Anno 72 Lucullus iter ad Cabira suscepit, et quum diu a neutra parte grave proelium commissum sit, ibi hiemavit 72/71, teste loco Phlegontis apud Phot. a Fischero pag. 202 his insertis allato: τῆς ροζ' Ὀλυμπιάδος, ἐν ἡ ἐνίκα Ἐκατόμνος Μιλήσιος στάδιον [Africanus apud Euseb. ol. 177, 1 (= a. u. c. 682/3 = a. C. 72/71): Hecatomnus Eleus stadium] καὶ διαύλον καὶ ὁπλίτην τρίς — Λεύκολλος δὲ Ἀμισὸν ἐπολιόρκει καὶ Μουρῆναν ἐπὶ τῆς πολιορκίας καταλιπὼν μετὰ δυοῶν ταγμάτων, αὐτὸς μετὰ τριῶν ἕλλαν προῆγεν ἐπὶ Καβείρων, ὅπου διεχείμαζε. Quem locum cur sine ulla refutatione et potius testimonii instar afferat Fischerus, non intelligo, quippe qui eius sententiam prorsus evertat. Inde enim efficitur, Lucillum hiemem annorum 72 et 71 ad Amisum, 71 et 70 ad Cabira egisse, licet Fischerus affirmet, cum a. 72 Mithridatem regno spoliasset. Sed Phlegontis quoque displicet temporis computatio. Ex App. et Plut. ll. ll. efficitur, Lucillum statim, postquam a rege persequendo in Pontum rediisset, App. Claudium ad Tigranem misisse, et eodem tempore ad obsessionem Amisi rediisse. Quare, paucis in tempore computando mutatis, statuendum videtur, Lucillum a. 73/72 ad Amisum fuisse, a. 72/71 ad Cabira in castris hiemasse, ante, non vero post reportatam victoriam, deinde anno 71, fortasse vere, aut ineunte aestate, Mithridatem regno pepulisse.

pauca de Cotta et Triario adficienda sunt. Cotta frustra Heraclea potiri conatus erat, quum ipse terrestres tantum copias haberet, urbs autem mari varia acciperet auxilia. Bithynos igitur in prima acie posuit, existimans, his parcituros Heracleotas; hi vero haud minus acriter urbem defendere perrexerunt. Quum autem hiems com-
meatus maritimos impediret, Cotta ad Lycum flumen castra posuit, unius horae spatio ab urbe recedens, ita ut ipsi omnium rerum copia esset, in urbem vero nulli com-
meatus pervenire possent. Sic Heracleotae inopiam passi, unde variae inter cives et copias regias discordiae (1). Attamen Romani non ante a. 70 urbe potiti sunt.

Feliciores eventu mari certavit Triarius, qui cum navibus septuaginta regiam classem navium fere octoginta, ad Pontum Euxinum iter dirigentem, ad Tenedum insulam magna clade profligavit (2).

VI.

RES SICULAE.

Ne quid omisisse videremur, agendum nobis esset de ceterarum provinciarum, quae bello non implicatae erant, rebus. De his autem quum, praeterquam de rebus Siculis, nihil fere nobis constet, extrema huius capituli parte in Siciliam tantum oculos conicere licet, provinciam omnium fidelissimam, teste M. Tullio Cicerone (3), qui in illa a. 75, Sex. Peducaeo praetore, quaesturam

(1) Memn. 49.

(2) Memn. 48.

(3) Cic. Verr. II. 2. 1.

gessit (1), et munere suo ita functus est, ut non tantum summae aequitatis laudem consequeretur, verum etiam ab incolis maximopere diligeretur. Quum de provincia decedendi tempus venisset, oratione Lilybaei habita, promisit, si quando opus esset, Siculis se fore auxilio (2).

Peducaeam in praetura Siciliensi excepit C. Licinius Sacerdos (a. 74), qui successorem habuit C. Verrem illum, quem tum liberae legationis, tum etiam quaesturae nomine Asiam diripuisse vidimus (3). Hic, quum Arrius praetor ei non succederet, per triennium Siciliae praefuit. Magna erat eius avaritia, et iam antequam in Siciliam profectus est, nomina et opportunitates quaesivit, quo facilius praedari posset. Eodem die, quo Siciliam adiit, vix e navi egressus, literas misit Dioni cuidam Halesino, cuius filio, Licinio adhuc praetore, maxima obtigerat hereditas, certiore eum faciens, se de hereditate cognoscere velle (4). Si autem de hereditate quadam cognoscere vellet Verres, semper aut totam aut maximam eius partem heredibus eripere solebat (5). Quam avide et nefarie hereditates appeteret, unum exemplum ostendat.

Heraclio, Hieronis filio, Syracusano magna venerat hereditas testamento propinqui cuiusdam, ea lege, ut statuas in palaestra poneret. Fuerunt autem, qui Verrem admonerent, fieri posse, ut palaestritae negent ex testamento statuas illas esse positas, licet re vera positae essent. Quod consilium ipsi admodum placuit. Et causa

(1) Cic. Divin. I. Pseudo-Asc. ad h. l. et in Argum.

(2) Cic. et Pseudo-Asc. II. II.

(3) Cf. Proleg. p. 22.

(4) Cic. Verr. II. 2. 7.

(5) II. 2. 7. sqq.

quidem in iudicium deducta, Verres, turpissimis artibus Heracium non tantum hereditate illa, verum etiam patriis bonis omnibus privandum curavit, idemque sic favit palaestritis, ut ipse tamen, quod maxime spectaverat, plurimum lacri faceret sibi in posterum furto- rum et iniuriarum socios compararet (1).

Addimus alterum exemplum iurisdictionis Verrinae. Sopater quidam Halicyensis, ab inimicis suis apud Sacerdotem praetorem rei capitalis accusatus, verum, innocens quippe, eo iudicio liberatus erat. Eiusdem autem inimici ad Verrem nomen detulerunt. Tum ad Sopatrum venit Timarchides, turpium rerum administer, eumque monet, ne Sacerdotis iudicio nimis confidat: accusatores enim praetori pecuniam daturos esse, praetorem autem ob salutem accipere malle, simulque malle rem iudicatam non rescindere. Post dubitationes quasdam HS LXXX numerat Sopater. Primo die res non peroratur: dimittitur iudicium. Iterum ad Sopatrum venit Timarchides, affirmans, accusatores multo maiorem pecuniam polliceri. Tum vero Sopater, quam Timarchidem diutius ferre non posset, „facite,” inquit, „quod ei libet; daturus non sum amplius.” Sopater huiusque amici confidebant consilio, quod in eo essent viri honesti e conventu Syracusano, qui Sacerdoti quoque in eadem causa adfuerant. Quum iterum in iudicium ventum esset, Verres M. Petilium, equitem Romanum e consilio, iubet operam dare, quod rei privatae iudex esset. Recusabat Petilius, quum amicos suos, quos sibi in consilio esse vellet, ipse praetor retineret. Tum Verres omnibus, qui Petilio adesse vellent, permittit, ut discedant. Discedunt omnes. Repente Verres Q. Minucium, equitem Romanum, Sopatri defen-

(1) II. 2. 14 sqq.

sorem, dicere iubet. Negat ille, se causam defensurum dimisso consilio; ait, se quoque a Petilio exspectari; abit. Tum praetor sine consilio, maximo hominum conventu, testes citari iubet, et summa festinatione, ne forte Petilius transacto dilatove iudicio cum consilio rediret, hominem insontem, a Sacerdote absolutum, dimisso consilio, patrono absente, indicta causa condemnat (1).

Duo illa exempla, ex compluribus sumta, satis ostendunt, quo loco ius et aequitas Verri essent. Verum insuper totam Siciliam ornamentis, signis, tabulis pictis, gemmis ita spoliavit, ut nullum in provincia esset vas argenteum, Corinthiacum aut Deliacum, nulla gemma aut margarita, nihil ex auro aut ebore factum, nullum signum aeneum, marmoreum, eburneum, nulla pictura, quin conquisivisset, inspexisset, et, si placuerat, abstulisset (2). Longius esset enumerare, quae privatis eripuit (3); Catinensibus, Centuripinis, Agrigentinis, Haluntinis omne argentum caelatum, omnia vasa Corinthia ademit (4). Segestae magno cum luctu gemituque totius civitatis simulacrum Dianae, ob memoriam P. Scipionis Segestanis carissimum, abstulit (5); a Tyndaritanis pulcherrimum Mercurii simulacrum sustulit (6); ab Agrigentinis signum Apollinis ex Aesculapii fano et Herculis ex huius templo ademit (7). Neque eum puduit, manu armata, noctu, foribus effractis,

(1) II. 2. 28 sqq. ibique Interpr. in ed. Creuz.

(2) II. 4. 1. sqq.

(3) II. 4. 12 sqq.

(4) II. 4. 22 sqq.

(5) II. 4. 33 sqq.

(6) II. 4. 39 sqq.

(7) II. 4. 43.

templa spoliare (1). Ab his ut alibi non abstinuit (2), ita imprimis spoliavit Syracusana (3). Verum fastigium sacrilegae illius audaciae Catinae apparuit, cuius e sanctissimo Cereris templo, in quod intrare nulli viro licebat, perantiquum Cereris signum, quod viri, non modo cuiusmodi esset, sed ne esse quidem sciebant, clanculum abstulit (4).

Quanta crudelitas, quantus furor cum ista cupiditate coniuncta fuerint, hoc exemplo intelligitur. Tyndari statua erat Mercurii, quam quum Verres inspexit, continuo Messanam deportari iubet; et, ex urbe decedens, proagoro Sopatro, ut demoliatur, mandat. Ille, vehementer commotus, rem ad senatum Tyndaritanum refert. Aliquanto post Verres iterum Tyndarum venit; de signo quaerit. Respondetur, senatum non permittere: poenam capitis constitutam, si quis iniussu senatus statuam attigisset: simul obiicitur religio. Tum Verres: „quam mihi religionem narras? quam poenam? quem senatum? vivum te non relinquam; moriere virgis, nisi signum traditur.“ Iterum rem ad senatum defert Sopater: senatus nullum responsum dat, sed vehementer commotus discedit. Mox praetoris nuntio Sopater arcessitur: negat, rem fieri posse. Neque haec omnia intra parietes, verum palam de sella agebantur. Licet hiems summa esset, perfrigida tempestas, Sopatrum nudum in C. Marcelli statua equestri divaricari et deligari iussit Verres, neque illi iniuriae finis factus est, antequam populus, commotus rei atrocitate, senatum clamore cogeret, ut signum praetori polliceretur (5).

(1) II. 4. 43 sqq.

(2) II. 4. 46 sqq.

(3) II. 4. 52 sqq.

(4) II. 4. 45.

(5) II. 4. 39 sqq.

Incredibilis impudentiae hoc est exemplum. Verre praetore, Antiochus, alter Antiochi Syriae regis filius, iter per Siciliam faciebat. Ei munera mittit Verres satis large, cumque ad coenam vocat. Triclinium magnifice exornat, expositis vasis pulcherrimis alisque. Paulo post Antiochus praetorem ad coenam vocat, et sua vice opes suas, argentum, aurum, gemmas exponit. Haud multis diebus post Verres rogatum mittit vasa illa, quae pulcherrima apud eum viderat: ait, se suis caelatoribus velle ostendere. Antiochus sine ulla suspitione rogata mittit. Inter regios thesauros erat candelabrum e clarissimis gemmis mirabili opere perfectum, quem Antiochus secum duxerat, ut in Capitolio poneret. Templo autem ibi nondum perfecto, statuit id secum in Syriam reportare, ut, quam audisset simulacrum Iovis dedicatum, id per legatos mitteret. Interea candelabrum diligenter celavit, ne quis id ante oculis adspiceret, quam in Capitolio positum esset. Res tamen ad aures pervenit Verres; petit ab Antiocho, ut sibi inspicere liceat; se nulli alii ostensurum pollicetur. Illic, nihil mali suspiciens, suis imperat, ut candelabrum in praetorium quam occultissime deferant. Quum satis id conspexisse Verres videretur, servi regis tollere incipiunt, ut referant. Iste vero ait se illud etiam atque etiam considerare velle, et servos discedere iubet, candelabro relicto. Quum vero aliquot diebus post nondum esset relatum, Antiochus semel iterumque ad praetorem mittit; non redditur. Ipse hominem appellat; rogat, ut sibi reddat. Tum Verres, sibi ut donet, vehementer petere coepit, sed ubi videt, nullis precibus, nullis minis se Antiochum permovere posse, eum ante noctem de provincia decedere iubet: se enim certiores esse factum, ex eius regno piratas in Siciliam venturos. Sic Antiochus

spoliatus, expilatus, praiceps de provincia exturbatus est (1).

Neque quid Siculos iuvat sua condere. Per investigatores (2) enim omnia inveniebat, et nisi condita statim traderentur, apponebat quemdam, qui possessorem rei capitalis reum faceret (3).

Haec nondum continent omnia: superest tertium eius praedandi diripiendique genus, quod spectabat frumentum. Non omnes Siciliae civitates eodem iure utebantur. Ahae bello subactae erant, quorum ager, quum iure belli publicus populi Romani factus esset, ea lege iis redditus est, ut decumas solverent. Is ager a censoribus locari solebat. Aliae alia ratione decumas solvebant, eadem lege scilicet, qua antea Hieroni regi solverant. Harum decumae, Siculorum gratia, non Romae a censoribus, verum a praetore in ipsa Sicilia locari solebant. Aliae civitates foederatae erant, aliae sine foedere liberae atque immunes (4). Inde tria genera frumenti. Quod enim decumarum causa solvebatur, dicebatur frumentum decumanum. Alterum frumenti genus erat emtum. Id erat vel decumanum alterum, quod ita dicebatur, quia aratores iterum decumasolvere debebant, certo tamen pretio constituto, in modis singulos scilicet HS ternis; vel imperatum, quod omnibus civitatibus distribuebatur, cui HS quaterni in singulos modios erant constituti. Verum praeterea licebat praetori frumentum ad usus suos imperare, certa ex aerario pecunia a senatu concessa, unde ab aratoribus emeret, quaternis HS tritici modium, hordeum binis. Frumentum huiusmodi emtum venditores vehere debebant, quorsum praetor

(1) II. 4. 27 sqq.

(2) II. 4. 13 sqq.

(3) II. 4. 18 sqq.

(4) Cf. Becker-Marquardt III. 2. 75 sqq.

vellet. Si autem aratores frumentum servare mallent, aut in eum locum, quo imperabatur, portare nollent, praetori licebat, tantam, quantam aequum erat, pecuniam ab aratore pro frumento et vectura pacisci (1).

Quid igitur fecit Verres? Primum totam venditionis rationem sine auctoritate senatus Romani mutavit. Decumarum enim venditiones ex antiqua lege fiebant, ab Hierone minore instituta. Legem Hieronicam servandam Romani censuerant; sustulit Verres, nova lege instituta. Instituit deinde certos homines, qui decumas a se conducerent, nomine decumanos, re vera ministros atque satellites cupiditatum suarum. Horum in numero princeps fuit Apronius, homo teterrimus, quo maxime Verres usus est ad aratorum fortunas vexandas et diripiendas. Primum edictum dedit Verres: quantum decumanus edidisset aratorem sibi decumae dare oportere, ut tantum arator decumano dare cogeretur. Sic aratores tradidit Apronii libidini et avaritiae. Addiderat quidem in edicto, si quis decumanus plura sustulisset, quam debitum esset, in eum se in octuplum iudicium daturum esse. Verum si evenisset, ut arator iudicio in octuplum Apronium persequeretur, Verres iudices dedisset de nefaria cohorte sua, quorum iudicio aratores inferiores discessuri fuissent. „Veniendum,” inquit Tullius, „ad eos contra Apronium, qui nondum Aproniani convivii crapulam exhalassent.” Ipse Apronius dicere solebat, non se decumas emisse, verum bona fortunasque aratorum: non se decumanum esse Apronium, sed Verrem alterum, dominum illorum et tyrannum (2). Accesserunt alia edicta. Q. Septitio, honestissimo homine et equite Romano, affirmante, se

(1) II. 3. passim.

(2) II. 3. 7 sqq.

plus decuma non daturum, exoritur edictum repentinum, ne quis frumentum de area tolleret, antequam cum decumano pactus esset. Quum autem Septitius imbri frumentum in area corrumpi pateretur, Verres edixit, ut ante Kal. Sext. omnes decumae ad aquam deportarentur. Sic deportandi dies praestituta aratores frumentum ex area tollere cogebat; prohibitio tollendi, nisi pacti essent, pactioni vim adhibebat, non voluntatem (1).

Sic Verres provinciam exhaustit, turpissimi quaestus causa. Nemo enim unas vel duas decumas dedit; sed egregium quis beneficium putabat, si tribus decumis pro una defunctus esset. Et adeo quidem exhausta est Sicilia, ut L. Metellus, qui Verri in praetura successit, ante adventum suum per literas rogaret, ut ararent, ut sererent, nec tamen antiquum sationis modum assequi posset, quamquam lege Hieronica decumas se venditurum ostenderat (2). Ager decumanus desertus fere erat; qui remanserant, vix decima pars aratorum, omnes relicturi agros fuissent, nisi Metellus ad eos Roma literas illas misisset. Plurimum ex ingentibus istis lucris ad ipsum Verrem pervenisse, non opus est, ut affirmem.

In frumento emto furta Verris haud leviora fuerunt. Quum et ex lege Terentia Cassia frumentum emere deberet, et ad id per triennium prope HS centies et tricies ex aerario accepisset, hanc pecuniam domum suam avertit, eaque ad quaestum suum sic abusus est, ut eam binis centesimis usuris (24 %) feneratus sit. Permultis civitatibus pro frumento emto nihil omnino solvit. Solebat, quum omnem frumenti copiam nomine

(1) II. 3. 14.

(2) II. 3. 16 sqq.

decumarum penes se redactam haberet, pro alteris decumis vel frumento imperato, quod civitates non amplius solvere possent, pecuniam ab illis cogere, et, si quid frumenti reliquum iis esset, id improbare. Hoc modo ab Halesinis pro tritico nummos abstulit, quanti erat in tota Sicilia triticum. Quantum frumenti Romam mittendum erat, tantum misit de quaestu suo. Tandem ex pecunia, quam aratoribus solvere debebat, variis nominibus deductiones fecit, pro spectatione, pro collybo, pro cerario, aliisque (1).

Quum frumento aestimato, quod in cellam sumere Verri licebat, a senatu pretium constitutum esset HS quaterni in tritici, bini autem in singulos hordei modios, sed in Sicilia binis tantum, vel summum ternis, esset modius tritici, Verres iniustissima aestimatione pro singulis modiis ternos exegit denarios. Ita non modo pecuniam, quam a senatu ad frumentum in cellam emendum acceperat, retinuit, verum insuper pecuniam ab aratoribus coëgit (2).

Talis homo per triennium Siciliae praefuit. Nonne crimina eius Romae innotuerant? Profecto innotuerant. Nisi iam aliunde nota erant, fugitivi Siculi, ut Diodorus, absens rei capitalis accusatus, quia pocula duo pulcherrime facta celaverat (3), — ut Sthenius, qui absens et reus factus et, indicta causa, capite damnatus est (4), — turpissima Praetoris facinora omnibus narrarant. Sed quamquam haec interdum ab ipso Senatu improbari apparebat, Verri id nonnumquam in breve tempus timoris aliquid iniecit, Siciliae autem, ipso Praetore, nullum attulit levamen malorum.

(1) II. 3. 70 sqq.

(2) II. 3. 81 sqq.

(3) II. 4. 18 sqq.

(4) II. 2. 34 sqq. cf. 5. 42.

ERRATA.

- Pag. 8 lin. 16. *juribus* lege: *iuribus*
" 7 " 8. *haec* " *haec*
" 11 " 21. *unquam* " *unquam*
" 17 " 3. *miserint* " *mitterent*
" 30 ann. 3. *Flor.* " *Flor. l. l.*
" 44 lin. 21. *palis* — *ante portas firis, cadavera etc.*
lege: *palis* — *ante portas firis cadavera etc.*
" 85 " 26. *Nullus* — *praesto erat, vir*
lege: *Nullus* — *praesto erat vir*
" 92 " 17. *erant* lege: *erant*

Pag. 88 ann. 4. *Menn. Pragn. 37.* addo: *ed. Orell.*

THESES.

I.

Fragmentum Licinianeum, quod exstat apud Pertizium, p. 23, col. 2, vs. 9 sqq. et p. 44, in edit. Philol. Bonn. Hept. p. 42, col. 2, vs. 9 sqq. et p. 43: *verum ubi convenerant* &c. ad unum Lepidum spectare potest.

II.

Epistola Pompeii in Sallustii Hist. Fragm., si ipsius Pompeii non est, tamen cum eius ingenio plane congruit.

III.

Nimis acre est iudicium, quod de Sertorio tulit Drumannus, Geschichte Roms IV. 349.

IV.

Victoria de Mithridate a Lucullo ad Cabira reportata incidit in annum 71 a. C.

V.

L. Licinius Lucullus repetundarum criminis, quod ei intendit Memmius, insons fuit.

VI.

Non assentior Theod. Mommseno, de bello a Pompeio adversus piratas gesto sic iudicanti: „Die rasche Ueberwältigung der Piraterie war eine grosse Erleichterung, aber keine grossartige That: mit den Hilfsmitteln des römischen Staates, die in verschwenderischem Mass waren aufgeboden worden, konnten die Corsaren so wenig sich messen wie die vereinigten Diebesbanden einer grossen Stadt mit einer wohlorganisirten Polizei. Es war naiv, eine solche Razzia einen Sieg zu nennen.“

VII.

Senatusconsultum de collegiis tollendis, quod memorat Asconius in Pison. (Orell. p. 7) ad annum 64 a. C. refero.

VIII.

De Rulli lege agraria meum facio hoc iudicium doct. A. Macé (Les lois agraires chez les Rom. p. 409): „Il nous semble résulter — que si les moyens d'application étaient souvent vicieux, le principe même de la loi était bon et louable.“

IX.

Apud Appianum, B. C. I. 27, nomen tribuni plebis Sp. Thorii ab altera lege ad tertiam transferendum videtur.

X.

Regem Deiotarum videtur Caesar neque absolvisse neque condemnasse, verum causam protrahere studuisse.

XI.

E verbis Ciceronis, pro Mil. c. 3, § 8: „Neque enim posset — si sceleratos cives interfici nefas esset,“ non efficias, id apud Romanos non nefas habitum esse.

XII.

E verbis Dion. Halic. IV. 71: *περὶ δὲ τῆς ἐκκλησίας ἔτι βούλομαι μαθεῖν, κ. τ. ἔ.*, effici non potest, Tribunos celerum sua sponte comitia habere potuisse.

XIII.

Non facio cum Car. Fred. Hermanno (Griech. Staatsalt. ed. 4^{te}, p. 561 sqq.) negante, Graeciam, statim post Corinthum captam, factam esse provinciam Romanam.

XIV.

In loco Taciti, Ann. XII. 60, pro verbis *Serviliae leges* legendum videtur *Corneliae leges*.

XV.

Apud eundem, Germ. 13: „Insignis nobilitas aut magna patrum merita Principis dignationem etiam adolescentulis assignant;” *dignationem principis* non interpreto principis dignitatem sive honorem, sed singularem existimationem, qua Princeps adolescentes illos dignabatur.

XVI.

In Horatii Sat. I. 6. 75, vulgatae lectioni
 „Ibant octonis referentes Idibus aera,”
 tam sententia quam verbis praestat altera haec:
 „Ibant octonos referentes Idibus aeris.”

XVII.

In Sophoclis Antig. vss. 1—4, qui sic leguntur:

ὦ κλεινὸν ἀπ' ἀδελφῶν Ἰσμήνης κάρη,
 ἔρ' οἶσθ', ὅτι Ζεὺς τῶν ἀπ' Οἰδίου κεινὸν
 ὄποιον οὐχὶ νῶν ἐπιζώσασιν τελεί;
 οὐδὲν γὰρ οὔτ' ἀλγεινὸν οὔτ' ἄτης ἄτερ κ. τ. ἔ.

sic corrigendos statuo:

ὦ κλεινὸν — τὸ ποῖον οὐχὶ νῶν ἐπιζώσασιν — οὔτ'
 ἀλγεινὸν οὔτ' ἄτῆριον

XVIII.

In eadem fabula, v. 29—30:

οἰκνοῖς γλυκῶν

θησαυρὸν εἰσερᾶσι πρὸς χάριν βορᾶς,

iungenda censeo verba *θησαυρὸν* et *βορᾶς*: *gratum alitibus*
tibi thesaurum, quem avide inspiciunt.

XIX.

Aristophanes, quamquam antiqui moris et disciplinae patronum se gerit, ipse tamen ab his multum recessit.

XX.

Philosophiae Graecae origo non ab Oriente repetenda est.

XXI.

Neque magis e mysteriis profecisse Graecorum philosophiam statuo.